



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

BIBLIOTHECA
SCRIPTORVM GRÆCORVM ET ROMANORVM
TURNERIANA

L
32
100.62

GVILELMVS BLESSENSIS
ALDA

EDIT
C. LOHMEYER



1609

L I P S I A E
I N A E D I B V S B . G . T U R N E R I


L 32.100.62



HARVARD
COLLEGE
LIBRARY







GUILELMI BLESENSIS

ALDAE COMOEDIA

EDIDIT

CAROLUS LOHMEYER




LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI

MDCCCXCH

L 32.100.62
✓



LIPSIAN: TYPIS B. G. TEUBNERI

Printed in Germany

FRANCISCO BUECHELER

ANTONIO ELTER

HERMANNO USENER

S

Caput I.

De poeta.

Carmen, quod tractandum et edendum mihi sumpsi, medii aevi temporibus notissimum inter illa poemata non ultimum tenet locum, quae Ernesto Muellenbach auctore (comoed. eleg. fasc. I, pag. 5) sub comoediarum elegiacarum nomine comprehenduntur, 'quae variis locis a variis poetis composita in eo omnia concinunt, quod elegiacis versibus aut comicarum fabularum argumenta enarrant aut narratione hic et illic interposita ipsa per diverbium decurrentia scaenicarum similitudinem quamdam prae se ferunt'. Primam comoediae notitiam debemus Stephano Endlicher, qui propter stili dictionisque similitudinem et quia una cum Matthaei Vindocinensis comoediis est tradita in duobus codicibus Vindobonensibus, hunc auctorem Aldae comoediae fuisse contendit (vide Catal. cod. philolog. lat. biblioth. Palat. Vindobonensis pag. 146 et 163). Atque haec sententia a multis viris doctis comprobata est. Suscepit eam Édélestand du Méril (cf. Origines latines du théâtre moderne. 1849. pag. 286 not.) atque acerrimus et maxime strenuus defensor extitit in prolegomenis ad editionem comoediae (cf. Poésies inédites du moyen âge. 1854. pag. 421 sqq.)¹⁾. Qua in re virum de medii aevi poesi optime meritum errasse cum nunc quidem inter

1) Neque hodie desunt, qui Matthaeo comoediam tribuant; vide Ysengrimum ed. Ern. Voigt. pag. XI, not. 11 et pag. CXXII, not. 3.

plurimos constet, accuratius, quae protulit, refellere supersedeo¹⁾). Merilius autem, ut Matthaeo adiudicaret hanc comoediam, maxime stili affinitate commotus est, cf. pag. 422 'c'est la même phrase brisée et souvent obscure, la même recherche de jeux de mots et de toutes les affectations du bel-esprit, le même cynisme d'expression et la même crudité de pensée, enfin la même versification un peu plate, quoique plus habile et plus facile, comme il devait arriver à un poète auquel l'âge aurait donné plus d'habileté et d'expérience'. Sed quae communia inveniuntur, ea satis puto explicari e patria, aetate, genere poetico iisdem neque accuratius inspicientem discrepantiae fugiunt. Nam Aldae auctoris multo planior sermo et fere lepidus a Matthaei stilo contorto et supra modum artificioso longissime abest²⁾). Maius etiam discrimen, quamquam hoc apud illos poetas minus valet, est in re metrica; Aldae enim poeta contra temporis sui morem plurimas easque gravissimas elisiones admittit, Matthaeus in hoc genere valde cautus est. Praeterea Merilio gravissimum erat, quod in Aldae prologo v. 27 sq.

'ne matronaret meretrix in verba Sabinae,
sunt sua materiae reddita verba suae'.

memoratur Sabinae nomen typica vi positum, 'et cette Sabine' ait du Ménil 'ne nous est connue que par une allusion du même genre qui se trouve dans une pièce de Matthieu de Vendôme, dans la Lydia³⁾ (v. 135 sq.)

1) Nuper de hac re egit Guilelmus Cloetta in 'Beiträge zur Litt.-Gesch. des Mittelalters und der Renaissance' I, pag. 76 sq.

2) De Matthaei stilo recte iudicat Wattenbach in 'Sitz.-Ber. der Muench. Akad. philol.-hist. Kl.' 1872, pag. 562; praecipue amans est verborum cumulationum, quibus decem versus et plures saepius explet, cf. e. g. Milonis vv. 203—213 al., cuius usus in Alda ne vestigium quidem habemus.

3) Tamen, num a Matthaeo illa comoedia Lydiae sit composita, non iniuria, ut videtur, dubitatur; vide Cloettam l. l. pag. 79 sqq.

parva fides hodie; minor est inde in muliere;
omnes si numeres, nulla Sabina manet'.

Quam argumentationem ne si verae quidem propositioni inniteretur acciperem. Re vera autem Merilium memoria fefellit, cum nomen a bonorum poetarum aetate usque in medium aevum utique floruerit eadem vi usurpatum, confer Hor. epod. II, 39 sqq.; Ovid. am. III, 8, 61; Mart. IX, 40, 5 et XI, 15, 2; Iuven. VI, 164, quibus addam nonnulla exempla e medii aevi carminibus desumpta:

Mathematic. (ed. in patrologiae Mign. ser. II, tom. 171, col. 1365 sqq.) cant. VI, 43

'ingemit affectu vera Sabina pio'

Ioannis Saresberiensis Enthetic. (ed. Giles) v. 1343

'Syllaque dum viguit, nulla Sabina fuit'

comoed. Babionis (ed. Wright in 'Early mysteries' pag. 63 sqq.) 213

'Penelope Pecula pietate, pudore Sabina'

et 289

'Thais ego videor, studui magis esse Sabina'

Bernardi Morlanensis de contemptu mundi (ed. Flacius Illyr. Varia doctorum . . de corrupto ecclesiae statu poemata', 1754², pag. 305; Satirical poets ed. Th. Wright. vol. II, pag. 60)

'plurima Lydia, rara Lucretia, nulla Sabina'

carm. resonant. IX (collegit Wright 'Early myst.' pag. 107 sqq.) v. 5 sqq.

'Pudoris prodigam

non eligam

nec Sabinam moribus

amoribus'.

Haec de Merilii scrupulis; alios suo loco tangam. Certe igitur Matthaeus Vindocinensis non fuit auctor comoediae; quis autem fuerit, non minus evidenter demonstrari potest.

Ac primum quidem Petrus Blesensis is, qui postea erat archidiaconus Bathoniensis, in epistula 93 (v. Petri

Blesensis opp. ed. Giles tom. I, p. 288 sqq.) Guilelmo fratri suo gratulatur, quod consilio suo obsecutus abbatiam in manus summi pontificis resignarit, ibique his verbis solacium ei afferre studet: 'Nomen vestrum diuturniore memoria commendabile reddent tragoedia vestra de Flauro et Marco, versus de pulice et musca, comoedia vestra de alda, sermones vestri, et caetera theologiae facultatis opera, quae utinam diffusius essent ac celebrius publicata. Plus honoris accrevit vobis ex vestris operibus, quam ex quatuor abbatibus' eqs. Quibuscum optime congruunt, quae auctor Aldae de sua poesi in prologo profitetur v. 9 sq.

'versibus ut pulicis et muscae iurgia risi,
occurrit nostro mascula virgo stilo'.

Tum in nonnullis libris manuscriptis poetae patria et nomen continentur carmine memoriali, quod meo iudicio non poeta ipse effinxit, sunt enim versus leonini, sed saec. XII. vel XIII. librarius, cui res et nomina bene fuerint nota. Hodie illud distichon extat tantum in codice optimo Harleiano 3872, sed erat in Amploiano quoque libro nunc deperdito, vide infra pag. 19, not. 3.

'Musa vionensis¹⁾ Guillermi sive blesensis
Scriptores²⁾ iuvenes volt refugitque senes'.

Denique in pluribus Petri Blesensis epistulis (cf. ep. 49, 72) et in 'Invectiv. in depravatores operum Blesensis' (ed. Giles tom. II, append. pag. LXXXIV) adhibetur Aldae comoediae versus 556, quamvis sine auctoris indicio:

'non expectato vulnus ab hoste tuli',
quem Guilelmus parva tantum mutatione admissa ex

1) Adiectivum derivatum a Vienna, suburbio urbis Blesensis, vide 'histoire litteraire de la France' tom. XXII, pag. 52; quare legendum censet Cloetta 'Viennensis'.

2) Utrum scribendum sit 'scriptoris' et iungendum antecedentibus, an 'scriptores' hic sint librarii (v. Bernier in 'hist. litt. de la Fr.' l. I.) dubitare licet.

Ovid. her. VI, 82 sumpserat. Sed hoc argumentum non ita multum valere libenter concedo.

In libris manuscriptis, si praetermitto Harleianum, nullum poetae, a quo carmen sit compositum, vestigium inest, id quod mirum non est, quoniam, nisi auctor carminis ipse in versibus se designaverat, illius aetatis homines poemata ipsa, non poetarum nomina, quae traderentur, digna putabant. Unde factum est, ut ne titulum quidem fontes eundem afferant. Simpliciter 'Alda' vocatur in initio et fine codicum Vindobonensium 303 et 312, in floribus poetarum (Poleticon), in codice deperdito Melicensi (vide stud. Vindobon. tom. IX, pag. 68), quam formam decurtatam posterioris temporis esse persuasum habeo; quare illam, quam adhibuere editores, neglexi. 'Comoediam de Alda' significant Petrus in ep. 93, codd. Leidensis et Parisinus 15155, atque comoediam auctor ipse in prologo opus suum appellat. Alias tituli formas exhibent Lambacensis 'Comedia Ulfi' et Berolinensis 'proverbia albe comoedi' i. e. 'Aldae comoediae'. Ex his titulum elegi, quo nostris temporibus a doctis designari solet 'Aldae comoedia', quamquam medii aevi temporibus magis usitatum videtur fuisse illud 'comoedia de Alda', quod nescio an francogallicae originis sit¹⁾.

De Guilelmi Blesensis vita nihil fere scimus, nisi quae pauca ex fratris epistulis enucleari possunt, quae accurate sunt composita in 'hist. litt. de la Fr.' tom. XV, pag. 413 sqq. et XXII, pag. 51 sqq., quibuscum conferas velim Chassangium in 'nouvelle biographie générale' tom. 22, col. 682 sq.

Quo anno comoediam suam poeta ediderit, certa testimonia desunt. Primum commemoratur in Petri ep. 93, quam anno 1170 scriptam esse inter omnes constat, quare ultra hunc annum ascendere non licet. Neque

1) De titulo ab his omnibus prorsus alieno vide infra pag. 15 sq.

multo ante ut puto nata est. Annis 1167—1169 Guilelmus in Sicilia erat, ubi auxilio Petri fratris, qui tum 'Sigillarius erat et doctor regis Guillelmi secundi tunc pueri' (vide ep. 131), abbas *Matinensis*¹⁾ factus est. Atque recte iam monuit Ernestus Muellenbach (l. l. pag. 7) facilius in Sicilia, quam in Gallia fieri potuisse, ut 'fabulam de Menandri raptam sinu' inveniret et imitaretur.

Ceterum inter scripta poetica, de quibus infra locuturus sum, Aldae comoedia ultimum videtur fuisse secundum fratris testimonium in ep. 76, ubi 'salutaribus monitis' se fratrem ab illa vanitate retraxisse profitetur. Omnino cave putes Petrum, qua fuit gravitate animi, illud artis poeticae genus leve, cui frater se dederat, vere comprobasse (quod colligere possis ex ep. 93); aliis enim locis in tales nugae acriter invehitur, cf. ep. 76: 'Ego quidem nugis et cantibus veneris quandoque operam dedi, sed per gratiam eius, qui me segregavit ab utero matris meae, reieci haec omnia a primo limine iuventutis . . . Repudiatis igitur adulterinis amplexibus mundanae scientiae . . . Illud nobile ingenium fratris mei magistri Willelmi quandoque in scribendis comoediis et tragoediis quadam occupatione servili degenerans salutaribus monitis ab illa peremptoria vanitate retraxi: qui in brevi praeeminens in exercitio doctrinae coelestis fructuosa praedicationis instantia perditam iacturam temporis plenissime restauravit . . . Omittite penitus cantus inutiles et aniles fabulas et naenias pueriles. Illud mihi maxime vertitur in stuporem'.

Reliqua poetae Blesensis opera, quorum nullum diem tulit, sunt haec.

'Versus de pulice et musca' (vide ep. Petri 93),

1) Vide titulum sepulcralem fictum (ep. 93) 'Willelmus Blesensis *Matinensis* Abbas hic iacet'; monasterium est S. Mariae de Maniaco cf. 'hist. litt. de la Fr.' tom. XV, pag. 414.

quibus, ut illa aetate moris erat, poeta 'iurgia' (prol. 9) inter has bestiolas intercedentia de virtutibus et vitiis utriusque ac statu vitae tractavit. Carmen videtur fuisse ludicrum (cf. prol. 9 'postquam — risi') et, si sermones pulicis ad exemplum 'elegiae de pulice' Ofilii Sergiani formatos cogitare fas est, non nimis pudicum.

Eodem loco Petrus fratri tribuit 'tragoediam de Flauro et Marco'. De qua quae viri docti coniecerunt non probabilia puto. Velut G[inguené] (in 'hist. litt. de la Fr.' tom. XV, pag. 414) suspicatus est Flauroe nomen referendum esse ad moecham famosam, cuius mentionem facit Ivo Carnotensis in epistulis. Commotus autem est, ni fallor, hic vir ipso locorum habitu, quibus de 'Flaura' (vel 'Flora') carmina esse composita enarratur; cf. Ivonis ep. 66 (in Mignei patrol. ser. II, tom. 162, col. 83) 'ut a concanonicis suis famosae cuiusdam concubinae Flora agnomen acceperit' sc. Ioannes quidam, episcopus Aurelianensis scelestus, et ibidem infra 'Et ne me ista aliqua occasione confinxisse credatis, unam cantilenam de multis metrica et musica de eo compositam ex persona concuborum suorum vobis misi, quam per urbes nostras in compitis et plateis similes illi adulescentes cantitant, quam et ipse cum eisdem concubis suis saepe cantitavit, et ab illis cantitari audivit'. Eadem iisdem fere verbis narrat Ivo in ep. 67 'quidam enim concubi sui appellantes eum Floram, multas rythmicas cantilenas de eo composuerunt' eqs. Sed quis crediderit illam rem multis annis post potuisse praebere poetae materiam tragoediae, praesertim cum argumenta e vita cotidiana aut ex historia desumpta ab huius aevi poetis in tragoediis et comediis componendis neglegi soleant. Flauroe vel Florae nomen semper notum erat, velut saepius invenitur in carminibus Buranis (ed. Schmeller), cf. 147, 154, 155, 157, 159 al., et fortasse hoc vel illud eius modi poema ad cantilenas illas redit, quas a scolaribus cantitatas esse refert Ivo.

Neque probabilius coniecit Victor le Clerc (in 'hist. litt. de la Fr.' tom. XXII, pag. 55) 'de Flaura et Marco tragoediam' mutatis forte nominibus esse eandem, atque 'de Affra et Flavio' (ed. Thomas Wright in 'Percy society' vol. VIII, pag. 208 sqq.). Nam cum nomina minime sint similia, talis commutatio admodum mira est¹⁾.

Itaque Blesensis tragoedia qualis fuerit, omnino ignoramus.

Pauca addenda sunt de 'tragoedia de Affra et Flavio', quam editor propter stili similitudinem Guilelmo Blesensi adscripsit. Diu equidem haesitavi, utrum huic coniecturae adsentirer necne. Neque enim quisquam non videt stili utriusque, tragoediae et comoediae, affinitatem, neminem fugiunt loci utriusque consentientes²⁾. Atque hoc quidem mihi certum est, intercedere inter haec carmina quandam necessitatem, talem fortasse, ut alter (tragoediae?) poeta ex altero hauserit, sed his incertioribus causis commotus Guilelmum auctorem tragoediae appellare non ausim, quamquam non unum tantum eiusdem generis opus ab eo esse compositum ex Petri ep. 76 concludere licet. Accedit quod in tragoediae habitu et forma non nihil ab Aldae comoedia alienum est, desunt e. g. argumentum et prologus, neque eadem est dialogorum et descriptionum distributio. Denique quo modo factum esse putemus, ut idem poeta in comoedia elisiones vel gravissimas admitteret, in tragoedia contra cautissime vitaret, cum inter 236 versus praeter unum 205 'Ecce tua advertas

1) Recte hanc sententiam reprobata esse a Cloetta l. l. pag. 121 sq. video.

2) Confer e. g. Ald. 68 'diffiteare virum', A. et Fl. 84 'diffiteare patrem'; Ald. 81 'sic obstetricis probat experientia', A. et Fl. 41 'iudicium medici probat experientia'; Ald. 114 'in lucem prodit' = A. et Fl. 12; Ald. 372 'acrius ignescit' = A. et Fl. 97; Ald. 374 'et cutis ossa trahens' A. et Fl. 116 'vix tenet ossa cutis', al.

huc lumina' (Ecce tua! advertas' Wright) nullum exemplum inveniatur?

Praeterea Guilelmus theologiae studiis, ut par est, operam dedit. Ita Petro auctore (ep. 93) 'sermones et alia theologiae facultatis opera' composuerat, quae 'utinam diffusius essent ac celebrius publicata' idem desiderat. Atque in ep. posteriore (76) amico alicui theologiam neglegenti exemplum proponit fratris, qui iacturam temporis in scribendis tragoediis et comediis consumpti salubri doctrinae caelestis exercitio plane restauraverit¹). Hodie horum operum, quantum inquirere potui, nec vola extat nec vestigium.

1) Postea etiam Guilelmum passim adiuvisse in litteris fratrem videmus ex ep. 77 'libri mei [de praestigiis fortunae] siquidem prima pars a magistro Willelmo fratre meo correctae est; sed quia timeo, ne sit indulgentior mihi, si quid in eo vitiosum invenerit, precor, ut ab initio totum diligentiore cura recurratis, quatenus nihil ibi resideat, quod lectorem offendat' eqs.

Caput II.

De comoediae fontibus.

Medii aevi scriptores et praecipue comoediarum tragoediarumque poetae non nova inauditaque cecinerunt neque e suis ingeniis carminum, quibus aequales et posterius delectarentur, materiam haurire potuerunt, immo omnia exempla docent eos nihil aliud egisse, nisi ut sententias et fabulas feliciorae aetate natas et excogitatas suscipere et materiam antiquam in formas redigerent novas moribus saeculi sui et aequalium ingeniis adaptatas. Atque his imprimis de causis medii aevi scripta maioris sunt pretii, quam vulgo creditur, multaque antiquitatis opera, nisi hac via quamvis deformata ad nos pervenissent, vix nossemus. Neque ullo modo in hac re Guilelmus Blesensis ab aequalibus differt. Carminis quod tractamus argumentum non ipse invenit, sed multo ante notum et tritum denuo tractandum sibi sumpsit, ita ut originem fabulae perquirere et, quantum fieri possit, ad fontes eam reducere opus sit. Poeta ipse cum in comoediae prologo (v. 9 sqq.) de auctore suo verba faciat exemplumque, quod adhibuerit, describat, ab his explicandis omnes, qui quaestionem solvere voluerunt, initium cepere, sed minime inter se consentiunt. Quamquam nobis, cur ea, quae poeta dicit, in suspicionem vochemus, nulla causa videtur, tamen non defuerunt qui plane fidem illis esse abiudicandam censerent¹⁾, iisque Victoris le Clerc sententia placuit proposita in 'hist. litt.

1) Vide Lucianum Mueller in Fleckeiseni annal. tom. 97 (1868) pag. 733 et confer Cloettam l. l. pag. 76 cum notis.

de la Fr.' tom. XXII, pag. 53: 'il est plutôt à croire, si l'on veut absolument une hypothèse dans une question encore obscure, que l'Eunuque de Térence, qui est celui de Ménandre, n'était connu de Guillaume que par quelque imitation en prose latine, comme celles qui avaient remplacé, dans le cours des siècles, même en changeant le titre, plusieurs comédies de l'ancien théâtre'. E Terentio igitur pendere comoediam iis persuasum est.

Terentius autem, quamquam comoedia vetusta illis temporibus plane fere evanuit, apud eruditos homines etiam tum valebat et unus erat poeta comicus, cuius opera, non nomen solum, nota essent: velut Ioannes Saresberiensis (cf. Policr. I, 8) Plauto et Menandro, quos non noverat nisi Plautum sub imagine Queroli, opponit Terentium: 'et quibus ars nostri Terentii innotescit'.¹⁾

Atque in fabularum eius numero Eunuchus locum primarium videtur obtinuisse, ex qua saepius in litteris saeculi XII.²⁾ versus afferuntur a Ioanne, Petro Blesensi,

1) Omnino de Terentio tunc noto et lectitato cf. Carolum Schaarschmidt 'Iohannes Saresb.' pag. 101 sq., Rudolfum Peiper in 'Archiv für Litt.-Gesch.' tom. V, pag. 495, Georgium Voigt 'Wiederbelebung des klass. Altert.' tom. II, pag. 408 sq., Cuno Francke 'Zur Gesch. der latein. Schulpoesie des XII. u. XIII. Jahrh.' pag. 24, Cloetta 'Beitraege . . .' II. 'Die Anfaenge der Renaissancetragedie', 1892, pag. 1 sq. al. Terentius, cuius mentionem facit Amarcus in serm. III, 526 sq. (script. ante a. 1044): 'Novi quid referas: 'Mihimet sum proximus' (= Ter. Andr. 636) inquis. Non decet Esopi figmenta salesve Terenti Scripturis miscere sacris', enumeratur in catalogis auctorum poeticis Winrici Trevirensis (ad a. 1140) v. 91 'quidque requirenti donabis magne Terenti?', Hugonis Trimbergensis (a. 1280) registr. v. 280, Nicolai de Bibera (cuius a. 1281—83 compositum est carmen satiricum) v. 39 'qua fuerit vafer, nosti, Therenius Afer', quibus adiungas Waltheri Spirensis pass. S Christophori (ad a. 973) I, 101 'Africa praesentat secum comoedia Davum'. Cf. Gottlieb 'Ueber Mittelalterl. Bibliotheken' pag. 439 sqq.

2) Etiam carmen in codice Valentianensi (O, II, 25; vide

aliis, et Policratici libri VIII cap. 3 toto de hac comedia agitur, in qua secundum Saresberiensis iudicium (Policrat. VIII, 1) 'Comicus fere omnium vitam expressit'.¹⁾ Omnino ex Saresberiensis verbis concludas eam tunc, cum scriberet Policraticum (i. e. aestate a. 1159, vide Schaarschmidt, pag. 143), lectoribus minime ignotam fuisse. Petro autem, Saresberiensis amico, et Guilelmo fratri, quos adulescentes diligentia et cura doctos scimus²⁾, hoc tribuere debemus, ut quae aequalibus eruditionibus, iis quoque nota fuisse sumamus. Quare fieri potuisse nego, ut Guilelmus de Terentii Eunucho nihil ante oculos haberet, nisi narrationem rusticam prosa oratione confectam.

Praeterea mirum esset, quod poeta, si Eunuchum eum adhibuisse ponimus, non plura sumpsisset ex illa fabula; nam similitudo inter Aldam et Terentii comediam tam exigua tamque in casu posita est, ut vix possit similitudo vocari. Plura etiam in Aldae comedia insunt, quae antiquam fabulam olent eaque non ex Eunucho desumpta.

Sed redeamus ad prologi verba, quae mihi quidem dubia non videntur esse. Incredibilia enim et quae mendacii et inventionis speciem prae se ferant poeta non narrat, sed verbis simplicibus neque immoderatis

I. Mangeart 'Catalogue des ms. de Valenciennes' pag. 415) ad finem saec. XII. scriptum, quod editor du Ménil (poés. inédit. pag. 294) medii aevi cantibus popularibus inseruit, Terentii est, Chaereae querela propter amissam puellam; vide Ter. Eunuch. v. 292—296.

1) Imitatur Saresberiensis his verbis Quintiliani de Mandro iudicium X, 1, 69 'ita omnem vitae imaginem expressit', unde solum poetam graecum ei fuisse notum putem neque probare velim, quae de loco Policr. I, 8 coniacerunt Peiperus (l. l. pag. 529) et Muellenbachius (l. l. pag. 15).

2) Videas, quae exposuit Petrus Bles. in ep. 101 de disciplinis elementaribus, quibus sit imbutus, et de scriptoribus grammaticis et historicis, quos legerit; cf. praeterea 'Bibliomania in the Middle Ages' by F. Sommer Merryweather. London 1849, pag. 150 sqq.

exemplum suum, quale fuerit, depingit, ut subtilitas ipsa et diligentia, quam in describendo adhibuit, ne auctori diffidamus, admovere nos debeat. Haec de fide poetae sententia firmabitur, si ceteras medii aevi comoedias, quae de origine sua aliquid proferunt, comparaverimus. Fabularum fontes praeter Aldam indicantur in Vitalis Aulularia, Matthaei Vindocinensis Milone, Ricardi Venusini de Paulino et Polla comoedia. Nemo dum dubitavit de fide Aululariae in iis quae de Plauto i. e. Querolo explicantur, tum Milonem apud omnes constat fluxisse ex aliqua innumerabilium 'de vestigio leonis' ¹⁾ narrationum, quae Constantinopoli ipsam fabulam actam esse notaverit, denique Paulini et Pollae fata, quamquam haec comoedia multo post scripta et alius argumenti minus huc quadrat, a poeta, qui ipse ea viderit, esse narrata certum est. Eius modi autem testimonia desunt in Amphitryone, Baucide, Milite glorioso, Lydia, Pamphilo, Babione comoediis et in tragoediis, quae nobis notae sunt, unde non usu quodam necessario coactos poetas haec confinxisse colligas, sed quia quae de fontibus dicere possent, notatu digna iis videbantur.

Itaque nonnulli aliam viam ingressi fidem auctoris servare accurateque verba interpretari conati sunt, sed minus feliciter, veluti du Méril, dum titulum fabulae, quam poeta adhibuerit, instaurare temptat vertendo verba 'mascula virgo' e latina rursus in graecam lin-

1) Milo non ex graeca versione libri Sendabad, cui est titulus *Συντάξας*, originem ducere potuit, quod posuit Muellenbach (pag. 16); ibi enim rex relinquit apud amicam anulum, in Milone contra 'rex abit oblitus solearem' (cf. vv. 141 et 149 sqq.), quam narrationis formam habemus e. g. in versione hispanica 'libro de los engaños' (vide Landau 'Quellen des Decamerone' pag. 15) et in multis fabellis gallicis, quas allatas invenis apud Adalbertum Keller ('li Romans des sept sages' pag. CXXXVIII) et Erwinum Rohde ('Verh. der XXX. Versamml. deutscher Philologen u. Schulmänner zu Rostock' pag. 61), qui et Apulei (IX, 17—21) et Aristaeneti (ep. I, 5) locos comparat.

quam, effinxit monstruosum illud *Παρθενοσαυδρεια*, quod compositionis leges omnino respuit. Recte Peiperum (l. l. pag. 527) hoc improbasse multoque melius quadrare *ἀνδρογυνος* titulum qui Menandri est concedo, sed quae cetera de fonte comoediae ille explicare studet, nimis audacter dicta esse mihi videntur. Versionem enim latinam e graeco Menandri factam, qua Guilelmus se usum esse profitetur (cf. v. 13), coniecit fuisse Caecilii Statii comoediam 'Androgynus', quae quamquam nobis non esset servata, tamen saec. XII. integra extare potuisset. Sed Caecilii opus, de quo praeter duo fragmina minutissima per Festum (— Verrium Flaccum — Varronem) tradita nihil servatum est¹⁾, num ad exemplum comoediae Menandri compositum sit, non certum est. Atque vix credat quisquam comoediam istam potuisse servari usque ad Guilelmi tempora, praesertim cum neque in librorum catalogis neque apud scriptores ullum illius inveniatur vestigium²⁾.

Omnino autem hos versificatores non opera scaenica integra in comoedias redegissee elegiacas, sed potius narrationes prosa oratione traditas in usum suum contulisse satis notum est (vide Muellenbach pag. 17).

Quae cum ita sint, verba poetae accuratius ipsi excutiamus opus videtur esse. V. 9 sqq.

Versibus ut pulicis et muscae iurgia risi,
occurrit nostro mascula virgo stilo:
nominis accipio pro nomine significatum,
non potui nomen lege domare pedum.

1) Vide Ottonis Ribbeck scaenicae Romanorum poesis fragmenta II², comicorum fragmenta pag. 37.

2) Porro Peiperus omnia quae de fonte suo dicit poeta quadrare ad Caecilii comoediam demonstrare studet, quae singulariter tractare supersedeo vel ipsius verbis motus: 'Aber was steht einer solchen Annahme, über deren Schicksal übrigens, als reiner Aberglaube verworfen zu werden, der Verfasser sich ganz und gar keiner Täuschung hingiebt, entgegen? Nichts weiter als das unbegründete Vorurtheil' eqs.

Pro titulo igitur vero poeta significatum substituit 'mascula virgo', quae verba repetuntur infra v. 552 'virginis implevit mascula virgo sinus'. Sed qualis erat titulus graecus? Verborum compositorum, quae significant 'mascula virgo', non parvam composuit copiam Peiperus, et ipse quod ex his elegit ut aptissimum *ἀνδρόγυνος*, mihi quoque placet, quamquam versio latina significatui verbi graeci non plane respondet¹⁾. Unus vero, ne hanc tituli formam accipiamus, obstare videtur versus 'non potui nomen lege domare pedum', quia illa vox optime metro subiungitur. Hac in re utile erat deperditi Aldae libri manuscripti vestigium in 'catalogo librorum manuscriptorum in propria bibliotheca asservatorum', quem a. 1412 Amplonius Ratingk de Berka sibi confecit²⁾: 'Item Musa Blesensis egregia de antropynaculo, id est de mascula virgine', unde titulum comoediae priorem tunc fuisse notum discimus³⁾, nam 'antropynaculum' nihil videtur esse, nisi derivatio corrupta et in sermonem latinum trans-

1) *ἀνδρόγυνος* vocabuli interpretationes veteres graecas vide apud Theodorum Kock (com. fr. tom. III, pag. 18 sq.); in glossariis explicatur 'qui utrumque habet sexum, hermaphroditus' (cf. Papiam ed. Venetiis 1491 s. v. androgynosus) et germanice 'eyn mynsche de beyde heuet' vel 'manns ind wyfs kunne gelijc' (cf. Diefenbachi glossar. lat.-germ. et novum gloss. lat.-germ. s. v.). Praeterea invenitur 'androgynus semivir virago', et ad hoc spectat Aldae v. 559

'Impetit et falsis inhonestat fama sororem

Pyrrhi criminibus, semivirumque vocat'.

Ceterum confer exempla 'androgynus' vocis quae affert Peiperus (l. l. pag. 527 not.).

2) Vide Guilelmi Schum 'Beschreibendes Verzeichniss der Amplonianischen Handschriftensammlung zu Erfurt' pag. 791 (de poetria sub nr. 29).

3) Benigne Ernestus Voigt, cui eximiae erga me benevolentiae maximam habeo gratiam, me monuit, Amplonium saepius non e libris excepisse titulos, sed plura de suo addidisse; itaque si hac in re talem sese praestitit, potuit verba 'Musa Blesensis' sumere ex disticho praeposito ut in Harleiano ita in hoc codice, et illa 'id est de mascula virgine' ex prologi versu,

formata vocis *ἀνδρογύγνος*, facta ut puto ope vocabuli *ἀνθρωπος* vel *antropos*, ut scribitur in glossariis latinis. Talem autem longiorem¹⁾ existimo fuisse titulum, quem Guillelmus in exemplo invenit, ab hexametri legibus abhorrentem, ut in linguam latinam eum vertere cogeretur, neque ut poetam excusemus ad Vitalis aliorumve exemplum recurrere debemus (vide Peiperum pag. 530 sq). V. 13

‘venerat in linguam nuper peregrina latinam
haec de Menandri fabula rapta sinu:
vilis et exul erat et rustica plebis in ore,
quae fuerat comis vatis in ore sui’ eqs.

‘Fabulam’, non comoediam poeta exemplum, quod ‘nuper’ incerto tempore in linguam latinam e graeca venerat, appellat, cui v. 17 non obstat, si Harleiani lectionem rectam respicimus ‘dumque novi studium comoedi quaereret illa, quem’, cum ceteri libri et editiones praebent ‘dumque novum studium comoedia quaereret illa, quem’. Quibus verbis ad errorem viri docti deducebantur. Omnino enim Menandro adscripta erat non comoedia, sed fabula i. e. narratio comica et ludicra, prosa oratione composita, ut indicare videtur v. 15 ‘vilis et exul erat et rustica plebis in ore’ eqs. Et ex his verbis et ex illis ‘de Menandri rapta sinu’ certo concluditur fabulam non iam pristinam for-

illud autem monstrosum ‘de antropynaculo’ ne ab Amplonio fictum putemus, forma vocis corrupta et perversa vetat.

1) Ad ‘androgynaculum’ vocem rectius aestimandam apti sunt loci, quos mecum communicavit Gustavus Nordmeyer amicus meus, Augustini de civitate dei XVI, 8 ‘nam nemo unquam Androgynaecae aut Hermaphroditae nuncupavit’ et Ratramni ad Bimbertum de cynoscephalis (vide patrol. Mign. ser. II. tom. 121, col. 1155 et Hilgenfeldi ‘Zeitschrift für wissenschaftl. Theologie’ XXIV, 1881, pag. 65) ‘contra legem naturae videntur procreari, ut bicipites, trimani, pumiliones, hermaphroditae sive androgynae, vel alia perplura’. Confer praeterea glossam ‘Androgineca hermafroditus hoc est nec vir nec mulier’, quae extat in corp. glossar. (ed. Goetz) tom. IV, pag. 405.

nam et speciem habuisse, ut novi comoedi i. e. poetae comici, qualis erat Guilelmus, studium ei impendi opus esset. In versibus qui secuntur suam in tanto opere infirmitatem poeta queritur finemque facit excusando¹⁾ nimiam carminis lascivitatem v. 25

‘inveniet lasciva nimis sibi verba pudicus
lector; materiae, non mea culpa fuit’.

Guilelmus igitur in scribenda comoedia adhibuit narrationem prosa oratione compositam, quae in populi ore versabatur²⁾ et propterea multum pretii prioris amiserat. Titulum autem, quamquam e graeco in latinum translata erat, tenebat graecum et auctoris nomen poetae graeci.

Inter Menandri comoedias fuisse constat unam, cui esset titulus *ἀνδρογόνοσ ἡ Κρήσ*; sed praeter fragmenta nonnulla, quae collegit novissime Theodorus Kock in com. att. fr. tom. III, nihil servatum est. Ita-

1) Veterum poetarum memineris similia dicentium, velut Mart. I, 4, 8 ‘lasciva est nobis pagina, vita proba’, quae excepit Auson. cent. nupt. 4 addens ‘ut dicit Plinius’; praeterea Catull. 16, 5 sq., Ov. trist. II, 354, Mart. XI, 15, 1 sq., Plin. ep. IV, 14, 5 al.

2) Similis naturae fuisse fontes, e quibus ceteri huius aevi poetae materiam hauserint, iam supra dixi; Vetulae tamen auctorem ex Ovidio ipso (fast. III, 677 sqq.) argumentum scaenae lascivae, quam describit lib. II. cant. XXIX sqq., unde totum poema nomen traxit, sumpsisse simile videtur veri. Ad Ovidii locum conferas Hermannii Usener dissertationem ‘de mythis italicis’ in mus. rhen. tom. XXX, pag. 224 sq. Ceterum narratio prosaica ‘de caeco et eius uxore’, quam edidit Thomas Wright in fabularum latinarum collectione (Percy society tom. VIII, 1843, pag. 78 sq.), similis argumenti est atque Lydiae comoediae exitus, tamen fons fuisse non potest, cum pluribus ab ea differat. Arte autem cohaeret narratio de caeco cum Adolphi fabula I. saepius ipsis verbis servatis. Adolphi fabulas a. 1315 scriptas (vide cap. XI. exitum) edidit Polycarpus Leyser in historia poetarum et poematum medii aevi pag. 2008, quam editionem repetivit Wright l. l. pag. 174 sqq. Ad utrumque opus, narrationem prosaicam et fabulam poeticam, prope accedunt, quae narrat mercator in Chauceri ‘Canterbury tales’.

que quaestio oritur, utrum Guilelmi Blesensis exemplum, cui Menandri nomen adscriptum erat cuiusque titulus cum Menandreo consentiebat, vere ad poetae graeci opus revocari possit necne. Ac negaverit quispiam inter illud exemplum et Menandrum intercedere necessitatem affirmans Menandri fabulas iam illis temporibus prorsus evanuisse. Sed dubito, num recte affirmet. Neque enim omnino ad prologi versus requiritur Menandri fabula superstes tota, satis est demonstrasse potuisse extare aliquam *ὑπόθεσιν*, notitiam, argumentum, (taliam autem argumenta certe quidem traegodiarum etiam deperditarum ad infima usque tempora pervenisse notum est, velut de Euripideis ad Tzetzas delatis dixit Wilamowitz in anal. Eurip.' Buechelerus). Ac ne quod tragico concedis, comico abnuas poetae, pauca Menandri postea noti documenta afferam. Illius enim, quem posteri summum comicorum fuisse consentiunt, fabulas Plutarchi temporibus nondum e scaena exulasse constat¹⁾, diutissime fuisse servatas facile conieciris. Atque re vera sequentium temporum scriptores, qui e comoediis, cum non iam hoc litterarum genus placeret, scaenas subtiles et narratione dignas excerptas operibus suis prosa oratione compositis inseruerunt, Menandrum non recessisse e memoria testes sunt²⁾. Adicias quod etiam in Arvernibus Sidonius

1) Cf. Augustum Meineke 'Menandri et Philemonis fragmenta' pag. XXXII.

2) Velut Lucianus, Alciphro et Aristaeus epistolographi, Aelianus, Libanius, Eusebius, Choricus al. Cf. praecipue Theodorum Kock in Hermae tom. XXI, pag. 372 sqq., cuius verba sunt pag. 392: 'Es war eine allgemein verbreitete Uebung des eigenen Stiles, die Schreibart eines gewissen Vorbildes in der Weise nachzuahmen, dass man nicht blos eigene Gedanken in der fremden Form auspraegte, sondern auch ganze Schriften oder einzelne Stellen der Alten mannigfach variirte, namentlich poetische Stücke in die Form der Rede oder des Briefes umschrieb' eqs. Vide praeterea eundem in mus. rhen. tom. 43, pag. 29 sqq., Volckmann, Studia Alciphronica I. De Alciphrone comoediae imitatore, Carolum Graux in 'Annuaire de l'asso-

Apollinaris sub annum 472, dum Terenti Hecyram legit, simul Epitrepontem Menandri in manibus habebat (epist. IV, 12)¹⁾. Denique Menandri comoediarum mentionem faciunt catalogi librorum graeci compositi ut videtur intra annos 1565 et 1575, quos in 'commentatione de antiquitatibus et libris manuscriptis Constantinopolitanis' (progr. Rostochiense 1877) edidit Ricardus Foerster. Ibi enim inter opera pretiosissima, 'quae si repperirentur incredibile dictu quantum excitarent philologorum et historicorum gaudium', invenimus (pag. 20, col. a, β') τοῦ μενάνδρου τὰς κωμωδίας ὅλας τὰς εἰκοσιτέσσαρας· καὶ ἐξηγῆται αὐτὰς ὁ ὑπερτιμος κύρ μιχαήλ ὁ ψελλός et (pag. 29, col. a, in libris Rhaedestinis) μενάνδρου κωμωδίας; a Michaele Psello autem illustrissimo saec. XI. professore praeter plures alios poetas graecos classicae aetatis commentariis esse instructum Menandrum, quem in scholis academicis tractare solebat, docuit Constantinus Sathas²⁾.

ciation pour l'encouragement des études grecques en France' 1877, pag. 123 sqq., al. — Comoedias ad exemplum Menandri composuisse fertur Apollinarius, cuius filius, qui obiit a. 390, psalmos rettulit in versus; sed non extant, vide Krumbacheri hist. litt. Byz. pag. 306. Menandrum etiam post Iustiniani aetatem nondum fuisse oblitteratum contendit Wilamowitzius Eurip. Heracl. tom. I. pag. 176.

1) Huius loci notitiam debeo Buechelero, a quo opera et consilio me semper esse adiutum grato confiteor animo.

2) Vide 'Annuaire de l'ass. pour l'encourag. des ét. gr.' 1875, pag. 187 sqq. et *Μεσαιωνικ. βιβλιοθ. τομ. V*, pag. μγ'; ubi Pselli loci, quibus de Menandro loquitur, sunt pag. 59 sq. et 588. Krumbacheri sententiam, qui Menandri illi tantum gnomas fuisse notas censet, vide in hist. litt. Byz. pag. 218; idem ibidem pag. 221 catalogos Cpolitanos a falsificatore fictos causis non additis suspicatur, cum de fide non dubitaverint praeter Satham et Foersterum Buechelerus et Sittlius. Recte ut puto Sathas reiecit Petri Alcyonii verba (l. l. pag. 189): audivisse se puerum ex Demetrio Chalcondyla auctoribus sacerdotibus graecis Byzantii complura veterum poetarum poemata, inter alia Menandri comoedias, esse combusta, ut sub-

Praeter ea quae adnotavi, quod certiora afferre non possum, doleo, sed iam his exemplis demonstrasse mihi videor potuisse Menandri aliquid, quod temporum iniquitate ad nos non pervenerit, medii aevi temporibus servatum esse in oriente terra. Quod tunc ponas translatum vel potius transformatum in linguam latinam et Guilelmo Blesensi occurrisse (prol. v. 10). Nam quamquam medio aevo linguam graecam in Europa occidentali fere ignotam fuisse non nego¹⁾, tamen praecipue inde a saec. X. frequenti commercii, legationum, bellorum usu Italiam Siciliamque praeter ceteras terras cum oriente fuisse coniunctas notum est. Unde fieri potuit, ut eius qualem descripsi formae fabula ex oriente in occidentem (Siciliam) transmigraret ibique poetae talium cupido comoediae materiam elegiacae praeberet.

Iam, ut ex ipsa comoedia Guilelmi testimonium originis Menandreae desumatur, accuratius circumspiciamus, quae in illa comoediam graecam sapere videantur. Primum animum advertas verba poetae in prologo dicta v. 21 sqq.

pro fracta navi dicar simulasse cupressum,
extra propositum musa cucurrit iter.
exeo comoedum, fines comoedia transit
nostra suos, miscens non sua verba suis.

Multa igitur fabulae addita esse, quae ad eam non pertinerent, poeta profitetur, et debuit haec adicere, ut carmen moribus saeculi sui adaptaret. Qua re evenit,

stituerentur Gregorii Nazianzeni opera. Quae putabat vera esse Augustus Meineke Men. et Philem. fragm. pag. XXIX sq.

1) Testimonia virorum, qui de ea re egerunt, collegit Ludovicus Traube 'O Roma nobilis. Philologische Untersuchungen aus dem Mittelalter' pag. 66; adicias Baebler 'Beiträge zur Geschichte der lat. Grammatik' pag. 67—73 (v. E. Voigt 'Berl. philolog. Wochenschrift' 1892, pag. 49 sq.) et Carolus Schaarschmidt 'Iohannes Saresberiensis' pag. 108—112. Exemplum adiciendum esse Liudprandi monet Buechelerus tot verba Graecorum totasque fabellas graece scriptas afferentis, velut de Tiresia Iovis Iunonisque iudice in antapodosi III, 41.

ut antiqua interdum evanescerent; tamen comoediae tenor anticus plane deleri non potuit, quem in ceteris huius aetatis comoediis, si forte omittimus Vitalis opera, frustra quaeres. Fortasse operae erit pretium ab iis, quae Guilelmus aut qui antecesserant, mutaverunt, discernere antiquitatis reliquias; atque miro modo comoediam graecam olet totius actionis summa: Meretricis pulcerrimae amore inflammatus adulescens nobilis sed pauper, cum nullam votis suis spem respondere videat, servi voracis nequam foedi auxilium implorat. Qui tamen fraudulenter agens adulescentem et patrem eius avarum dolis ludit nihilque proficit ero depereunti. Tandem adulescens a nutrice vetula ad votorum effectum ducitur; mutatis enim cum meretricis ministra vestibus thalamum ei introire licet, ubi desiderium expletur. Mox autem res notescit et felici exitu adulescenti virgo nubit.

Sane hoc quod breviter enarravi argumentum cum Aldae comoedia non plane consentit, quippe cui plura insint, quae in comoedia graeca cogitari nequeant. Atque imprimis personas transformare debuit medii aevi poeta nonnullas, velut pro meretrice virginem nobilem inducere debebat, itemque qui eam custodiret non iam potuit esse leno, sed pater virginis, qui obitu matris tristi perterritus filiam, ut a simili fato servaret, inclusit. Parentes, a quibus totius narrationis initium sumpsit Guilelmus, si modo in exemplo agebant, in fine, ut meretrix ingenua nata esse nosceretur, agere debebant. Etiam adulescentis soror num in comoedia graeca fuerit, dubitari licet; melius eam servam meretricis fuisse ponas. Omnino totius fabulae actio in longum distrahitur in comoedia elegiaca medii aevi, quae scaenae non est destinata. Restant igitur personae: meretrix pulcritudine excellens; adulescens nobilis sed pauper eius amator; pater iuvenis avarus ludificatus a iuvene et servo; servus edax et foedissimus; eius amica; anus fraude adiuvans amantem; ancilla meretricis.

Si quae de mutatione personarum adnotavi respicimus, argumentum comoediae graecae aptissimum hic latere confitendum est, neque multum illius actionis naturam abhorrere concedes ab iis, quae de Menandro et ex imitationibus Romanorum et ex ipsius reliquiis scimus. Totam autem fabulam tamquam in cardine videmus verti in illa re, quod adulescens ita vestitus, ut sexus dignosci nequeat, virgini insciae vim infert, et hae vices 'masculae virginis' sive androgyni rursus ad Menandri comoediam tamquam exemplum primum huius carminis nos revocant¹⁾. Sed in Guilelmi comoedia hae antiquitatis reliquiae opprimuntur fere additamentis medii aevi, ut vix forma prisca luceat. Utinam fabulam quamvis 'rusticam et exulem' poeta servasset nobisque tradidisset, qualem ipse accepit!

Sed haec haecenus²⁾. Alteram Aldae fabulae non dissimilem narrationem ut tractemus restat, obviam in exemplari libri divulgatissimi 'historiae VII sapientium'³⁾, narrationem dico 'de iuvene muliebri veste

1) Quae de Menandri comoedia supersunt, comparationem inter utramque non admittunt, tamen nullum fragmentum iis, quae in Alda narrantur, non respondet. Velut si ex Athenaei 6, 243 b. (fr. 56 Kock) *μημημονεέει (Μένανδρος) ἀπὸ τοῦ (Χαίρεφάντος τοῦ παρασίτου) καὶ ἐν Ἀνδρογύνῳ ἢ Κρητί* in comoedia affuisse parasitum concludimus, in Alda de Spurio dicuntur plura, quae parasitum magis quam servum decent, ut fortasse ex utroque, parasito et servo, haec persona coaluerit. Cetera fragmenta sententias plerumque communes exhibent.

2) Conferenda sunt aliquatenus Achillis et Deidamiae fata, quae originem sapiunt recentiore; vide Erwinum Rohde 'Der griech. Roman.' pag. 102, not. 2. Haec fabula medio aevo non ignota erat et saepius tractabatur; cf. etiam Alani ab Insulis de planctu naturae I, v. 55

non modo Pelides mentitur (metitur ed. Leyseri) virginis artus,

ut sic virginibus se probet esse virum'.

3) Editiones et dissertationes collegit Paulus Cassel in 'Mischle Sindbad, Secundus, Syntipas, Einleitung u. Deutung des Buches der Sieben weisen Meister' 1891³, pag. 24 sqq. eum notis.

tecto'. Vetustissima earum, quae quidem notae sunt (vide Cassel pag. 60 et 300) illius libri versione continetur hebraica, cui est titulus **משלי סנדאבר**, deest in omnibus reliquis versionibus¹⁾. Hanc narrationem, ut melius qua ratione cum Alda coniuncta sit, perspiciatur, breviter comprehensam apponere mihi liceat. 'Mercator senex (ita fere narrat regi sapientium septimus) mulierem corporis nitore et pulcritudine oris eminentem in matrimonium duxerat. Quam desiderio captus amabat adulescens, sed frustra, nam a sponso aemulo anxie custodiebatur uxor. Tandem anus astuta iuveni in dies contabescenti auxilium tulit, cum barbam tondere et veste ac rica muliebribus indui eum iussit, ut talis in domum mercatoris induceretur. Tum ad senem progressa, ut filiam uxori eius pudicae tradere sibi liceret, petivit, quod ipsa in urbem peregrinam esset itura. Blandis verbis commotus senex precibus illius adnuit et aditum permisit virgini simulatae, quae mercatore peregre profecto cum muliere amata multos dies degit. Quare, sapiens adhortatur, cave mulierum dolos'.

Inter hanc narrationem et Aldae comoediam similitudinem quandam intercedere nemo negabit, sed quaeritur, quomodo inter se cohaereant. Hebraica versio cum ad fontem quarto fere p. Chr. n. saeculo in Graecia aut Syria compositum redeat (vide Cassel pag. 63, 303, 305, 310), ibi interseri potuit haec narratio ex Menandri comoedia. Omnino ad orientis litteras multum va-

1) Vide tabulas, quas composuere Cassel pag. 362 et Marcus Landau 'Quellen des Decam.' in appendice; huius libri editio altera quod mihi non praesto erat doleo. Reliquias tenuissimas invenies in versione latina 'historia calumniae novercalis', ibi enim memoratur reginae amator latens sub cubiculariae vestitu (cf. Keller 'li Roman des sept sages' pag. XXXIV et Landau l. l. pag. 17), et in versione gallica 'les sept sages de Rome' (cf. Keller l. l. pag. LXXVI sq.). Versionis latinae exemplar etiamsi decurtatum videtur adesse in codice Bernensi 768, quem describit H. Hagen in Fleckeiseni annal. tom. 97, pag. 711 sqq.

luisse Graecorum scientiam et imprimis comoediae recentioris opera optime docuit Ernestus Windisch ('Der griechische Einfluss im indischen Drama' in 'Verh. des V. Orientalisten-Congresses'. Berlin 1881, pag. 3 sqq.), velut Militis gloriosi Plautini argumentum, ut exemplum afferam notissimum, invenitur in multis et orientis et occidentis fabulis desumptis ex exemplo graeco¹).

Quare narrationes orientales similis argumenti (v. Cassel pag. 154 et cf. Landau pag. 17) ad eundem fontem redire posse concedendum est. Sed rem disceptare nolim ambiguum, praesertim cum talis fabula eodem tempore variis locis possit esse excogitata. Guilelmus Blesensis, si quid huic narrationi debuit, unde sumpserit ignoramus; exemplar hebraicum, quod nos unum novimus, adhibere non potuit.

1) Vide Eduardum Zarncke in mus. rhen. (N. S.) XXXIX, pag. 1 sqq., ibidem pag. 26 'So viel steht nur fest, daß unsere Erzählung, von Hellas ihren Ursprung nehmend, im Laufe der Jahrhunderte die Welt durchwanderte und überall dahin ihren Fuß setzte, wo man Gefallen fand an Schwänken und Märchen, im Orient wie im Occident'. Atque similia nostrae fabulae fuisse fata putes.

Caput III.

De poetae arte. Carmini quid tribuerint aequales et poster.

Materiem traditam quomodo tractaverit Guilelmus ipsa comoedia docet, quae valde ab antiqua comoedia abhorret. 'Scaenica enim neglexit, nihil praeter diverbia pauca eaque parum gravia in ipsa actione scaenam olent, gravissima omnino ne cogitari quidem in scaena possunt; contra descriptiones tam vividae tamque amplae sunt, ut quasi compensaturae scaenicam actionem videantur apud eos qui audiunt' (vide Muellenbach pag. 15 s.). Neque in hac re nova poeta protulit, sed ex auctoritate illorum pendet, qui antea tales comoedias scripserant maximeque ut videtur Vitalis Blesensis, cuius opera bene ei nota fuere (vide infra pag. 28 sqq.). Subinde tamen ab exemplis suis paulum aberrat, velut in fingendis sermonibus monologis, quibus comoediae personas philosophico more loquentes facit, nimium fertilis est; vide patris de fortunae inconstantia (v. 31 sqq.) et de mulierum malitia (v. 541 sqq.), servi de munerum vi ac pretio (v. 211 sqq.) al. Ea autem, de quibus meditantur, plane sapiunt medium aevum. Tum non modo materiae sed poetae quoque culpa factum videtur esse, ut amplum expleant spatium descriptiones libidinosae, velut deceptionis narratio lascivissima (v. 435 sqq.). Similia sane et graviora apud aequales Guilelmi occurrunt (vide Matthaei Vindocinensis epistulas et ceteras comoedias elegiacas), sed cum illic impudica et stuprosa aperte explicantur, ut descriptione voluptaria delecten-

tur qui legunt, hic multo artificiosius ea re, quod adulescenti, amatori cupidissimo, opposita est virgo innocens et artis amatoriae plane inscia, plura teguntur, quae lectori divinare licet. Itaque haec voluptas subtilis quod multo plus valuit quam illae sordes foedissimae, cur comoedia ab aequalibus et posteris lectitaretur, causa fuit.

Nominum personarum, cum apud priores medii aevi poetas comicos ex antiquitate maximeque e Terentio sint desumpta, inde a saec. XII. med. mutationem observamus. Inde enim antiquae comoediae nomina rariora sunt et quae adhibentur, aut sunt usitata temporibus poetae, aut ab ipso ficta; cuius rei exemplum praeter ceteras habemus in Aldae comoedia. Velut Aldae nomen (cuius originem a Romanis repetere possis; cf. gentem Aldiam, Aldinos) in Francogallia latissime patuisse exempla docent. Ita in 'roman de Trubert' (vide Méon 'nouveau recueil de fabliaux et contes' I, pag. 192 sqq.), quod carmen similis est argumenti, mulieris nobilis ministra vocatur 'Aude', idem adest alias (cf. Montaiglon 'recueil de fabliaux' V, pag. 173, 4), neque hodie ut audio in Gallia evanuit. Neque omitam, quod nonnumquam Aldae nomini vis typica videtur esse attributa, ut sit virgo quamvis nubilis, tamen plane rei amatoriae inscia. Quibus partibus fungitur in Blesensis comoedia; vestigia perspiciuntur in carmine heroico Viennensi¹⁾, ubi de moenibus urbis Alda virgo (la bele Aude) adspicit certamina Rolandi fortis sponsi futuri. Tertium his accedit 'carmen elegiacum de amore Aldae virginis' a Guarino Veronensi compositum (ed. W. H. D. Suringar Leidae 1867), quod praeter titulum et eandem nomini additam significationem nihil habet commune cum Aldae comoedia,

1) Edidit carmen Prosper Tarbé a. 1850, egit de eo, qui plura in linguam germanicam vertit, Uhlandus poeta in 'Schriften zur Geschichte und Sage' tom. IV.

quoniam Pyrami et Thisbes fabula tractatur aliqua-
tenus mutata, ut Guarino¹⁾ fuisse notum carmen ho-
monymum vix credamus.

Pyrrhi nomen adolescentis pauperis, sed feliciter
amantis in comoediis videtur fuisse tritum, velut extat
in Lydia, unde tota fabula servatis nominibus transit
in Boccatii novellam VII, 9. Cum in Lydiae comoedia
artificiose eo nomine ludatur, cf. v. 8

'qui Pyrrhum nescit, vel pira missa piro'
et 508 cum nota Merilii, 511, 528, 544, 548, 555, hic
autem ludus ad fabulae actionem non nihil valeat, il-
linc nomen sibi sumpsisse Guilelmum puto, quocum
conferas, quae de aetate Lydiae sunt dicta inferius
pag. 36.

Ulfi patris nomen rarius legimus in huius aevi
litteris, cf. e. g. Alani ab Insulis lib. parabolarum I,
59 (ed. Leyser)

'pauperat et ditat talorum lusibus Ulphum
alea; sed vitet, ne mage fiat inops';
ceterum memineris nominum germanicorum in *ulf* vel
wulf exeuntium.

Alia ratione illi poetae personarum inferioris or-
dinis, servorum et ancillarum, nomina fingere solebant,
ut vel nomine solo, qualis esset persona, cognosceretur.
Hoc modo in Aldae comoedia extitit Spurii nomen
v. 169 sq.

1) Elegiae auctorem non fuisse Guarinum maiorem natu
(vide Suringar pag. 10 sqq.) sed filium eius Ioannem Baptistam,
qui patrem secutus professor Ferrariensis erat, demonstravit
Georgius Voigt 'Wiederbelebung der Stud. des klass. Altert.'
tom. II, pag. 403, not. 2. Carmen multis codicibus traditum
est; praeter eos, quos adhibuit editor, alii afferuntur a Me-
rilio (poés. inéd. pag. 424) et Georgio Voigt l. l. Duorum prae-
terea mentionem facit W. von der Heid 'Die histor. Hand-
schriften der öffentl. Bibliothek zu Stuttgart' 1891, tom. I,
pag. 5 (fol. 7, III, 'Elegia Alde') et tom. II, pag. 9 (quart. 11,
VI, 'elegia Alde'; in fine 'miséria Alde'); uterque videtur esse
exaratus saec. XV.

'Pyrrho servus erat et nomen Spurius illi,
nec deerat talis nominis omen ei',
atque illud quoque ex nomine deducere omen usitatis-
simum erat, vide e. g.

Vital. Aulul. v. 43 sq.

'natus ego, ut quererer semper, Querulusque vo-
catus,

ut vivam querulus et mea fata querar' eqs.

com. de Baucide v. 188 'Davus dicor nil dans nisi vana:

'efficiar Davus, nec nisi vana dabo'

ibid. v. 221

'Birria non dicor, quia vir derisor amantum'

com. Lydiae v. 156 sq.

.. 'sum Lusca, luscaque iure vocor:

a simili mihi nomen adest omenque figurat'

com. Babionis v. 256

'Babio semper eris virque bovinus erit'

ibidem v. 274

'scit neque bu neque ba Babio lingua bovis'

de Paul. et Polla v. 411

'nomine Polla vocor, quia polleo moribus altis'.

Neque aliter a Guilelmo formatum videmus Spurcae
nomen, ut mores et ingenium mulieris describerentur,
cf. Mart. I, 34, 8

'abscondunt spurcas et monimenta lupas'.

In omnibus, quae ad genus poeticum et formam co-
moediae pertinent, Guilelmum pendere ex iis, qui antea
ad idem scribendi genus se verterant, notavimus, ac-
curatius vero demonstratur comparatis inter se et prio-
rum poetarum comoediis et Alda. Talem autem dis-
quisitionem non omni fructu carere puto, cum artem
scriptoris et eruditionem monstret et ad poetarum,
quos imitatur, operum tempus et aestimationem melius
noscenda aliquid afferat. Quare imitationis nonnulla
specimina addam.

Vitalis comoedias Guilelmo Blesensi fuisse notas
iam Muellenbach et Peiper observaverunt et re vera

complura ex illis carmini suo inseruit. Sed non aequo modo utrumque Vitalis opus adhibuit. Nam cum Aululariae exemplum in struendo carmine plerumque videatur secutus esse, velut hic et illic prologus et argumentum simillima sunt idemque versuum spatium (10 et 18 vv.) expleant et patris Aldae Spuriique monologi ad verba, quae in Aulularia Querolus loquitur, prope accedunt al., contra rarius verba ipsa mutuatus sit, Amphitryonem multo melius memoria tenuit, ut inde plures sententias plus minus mutatas reciperet, velut:

Amph. 197 'incolcat ictibus ictus'

Ald. 315 'ictibus incolcat ictus'

Amph. 10 'lis cadit, ira tepet'

Ald. 317 . . . 'friget'

ira, reformatur gratia lisque cadit'

cf. Aulul. 792 'lis cadit, acta placent'

Amph. 382 'aspera saepe tuli verbera, saepe minas'

Ald. 362 'quot miser accepi verbera, quotque minas' al.

Illa autem imitationis differentia vel ob eam causam notatu digna videtur, quod Aululariam iam illa aetate (saec. XII. med.) minus fuisse lectitatum demonstrat, Amphitryonem autem fuisse tritioem; id quod codicum ratione optime illustratur. Praeterea coniunctione firma, quae intercedit inter Vitalem et Guilelmum, utrumque eiusdem urbis Blesensis civem fuisse probatur¹⁾, etiamsi hoc argumentum non nimis grave est.

1) Nam dubitatur de patria Vitalis (vide Cloettam pag. 71 sq.), qui in nonnullis vetustioribus libris vocatur 'Blesensis', in recentioribus demum invenitur

'Explicit hic Geta deceptus ab Arcade summo:

Vitalis blesis explicit Amphitryon.'

Sed hic quoque 'blesis' ('blesus' Parisini 8413 lectio calami

Tragoediae 'de patricida', quae vulgo appellatur 'Mathematicus', quis fuerit auctor satis est incertum, cum alia testimonia Hildebertum alia Bernardum Silvestrem alia denique Serlonem commendent (vide Haureau in 'not. et extr.' tom. 29, 2, pag. 341 sqq. et Cloettam l. l. pag. 114), et ne tempus quidem constat. Neque vero post saec. XII. med. tragoediam esse editam imitatio docet Aldae comoediae, cf. e. g.:

Mathem. cant. VII, 48

'accipe quo tendant, quid mea verba velint'

Ald. 237 sq.

'accipe quo tendat, vel quid velit ambitus iste sermonis' . . .

Mathem. VIII, 41

'sed moriens ego non moriar totusque superstes
totus et in tali prole renatus ero'

Ald. 440

'totaque non poteris, cum moriere, mori:
vivam servabis tua te post fata, tibi que
ipsa tui magna parte superstes eris'

ibidem 90

'inque mea moriens stirpe superstes ero'

Mathem. XI, 3

'aspiciens igitur tantae miracula formae'

Ald. 161

'sollicitant Pyrrhum tantae miracula formae' al.

Aliquotiens cum Pamphilo consentit Aldae comoedia, sed ita, ut de imitatione dubitari queat. Fortasse autem hoc Iahnkii (com. Horat. pag. 27, not. 1) senten-

lapsu videtur orta) non esse id quod 'lusus, irrisus' (vide Muellenbach l. l. et Huemer in 'Neue philolog. Rundschau' 1886, pag. 44), sed corruptam vel potius versui adaptatam patriae significationem persuasum habeo. In versibus parum elegantibus librarius solum id videtur spectasse, ut uterque comoediae titulus exprimeretur et patriae mentio fieret.

tiae adminiculum affertur, qui 'de amore' carmen esse scriptum ante a. 1159 suspicatus est, cum laudetur versus eius a Ioanne Saresberienſi in Metalogico circa illum annum edito.

Pamph.¹⁾ III, 8

'venales merces improbus emptor habet'

Ald. 225 sq.

'gratia summorum merx est . . .

. . . hanc ſolus prodigus emptor habet'

Pamph. XII, 15

'usu crescit amor omnis, decrescit abusu,
omnis et impastus attenuatur amor'

Ald. 384

'crescit amor, quo plus attenuatur amans'

Pamph. XIX, 26

'hic venit a ſola ruſticitate pudor'

Ald. 48

'nam venit ex ſola proſperitate dolor'

Pamph. LVII, 16

'non mea culpa fuit' = Ald. 26. al.

Lydiae comoediae tempus e neceſſitate, qua cum Alda cohaeret, fortasse accuratius distingui potest. In primis prologi versibus auctor ad comoediam a se primo loco editam respicit, cf. prol. 1

'postquam prima equitis ludentis tempora risit,
mox acuit mentem musa secunda meam,'

cuius rei imitator est Guilelmus Blesensis in initio Al-

1) Numeros attuli editionis Goldastianae in 'Ovidii Nasonis Pelignensis erotic. et amator. opuscul.' Francof. 1610, pag. 75 sqq., editionis Baudouinianaesunt versus 78, 269, 380, 704. Ceterum in huius editionis exemplari bibliothecae Bonensis variam lectionem adiecit Augustus Scheler, omisit tamen signaturam codicis, qui habet versum finalem: 'Detur pro pena scriptori pulcra puella'.

dae. Sed cum ille, quod aptum erat, alterum eiusdem generis carmen alteri opponeret, hic poematum ali- quod, quod antea publici fecerat iuris, attulit servatis verborum colore et forma, cf. prol. 9

‘versibus ut pulicis et muscae iurgia risi,
occurrit nostro mascula virgo stilo’.

Praeterea, si omitto nomina in utraque comoedia con- sentientia Pyrrhi et Sabinæ, de quibus iam supra dixi (pag. 27 et 2 sq.), et sententiae, velut in prologis¹⁾, et verba ipsa saepius congruunt, cf. e. g.

Lyd. 178 ‘perdidimus sterili semina lapsa solo’

Ald. 206 ‘et sterili semina perdit humo’.

Ex iis quae attuli apparere puto Lydiam (et quod in hanc, etiam magis in Militem gloriosum eiusdem auctoris cadit) ante Aldam i. e. ante saec. XII. decen- nium VII. esse compositam. Neque vero multo ulterius ascendere nobis licet, cum Matthaei Milonem imitentur illae comoediae (cf. e. g. Mil. 1 ‘hamus amoris edax’ = Mil. glor. 51 al.), Milonem autem, qui primo loco me- moratur in Matthaei scriptorum catalogo, intra annos fere 1250—1260 esse editum persuasum habeo.

Singularis ratio inter Matthaëum Vindocinensem et Guilelmum intercedit. Uterque enim in describendis rebus vulgaribus iisdem sententiis et verbis saepius utitur, praecipue ubi de pulcritudine vel turpitudine hominum et de mulierum procacitate agitur; sed hae sunt sententiae illi aetati communes, ut alterum ex altero pendere in universum dici nequeat.²⁾

1) Lydiae versiculum 19 ‘murmur compesce labelli’ forma- tum esse ad exemplum Iuven. I, 160 adnotat Manitius in Phi- lolog. (N. S.) IV, 1891, pag. 360. Et illius plura hic inveniun- tur, velut verba mulieris superbae Iuv. VI, 223 ‘hoc volo, sic iubeo’ et Lyd. 470 ‘sic volo sicque veto’.

2) Tamen conexus non plane negari potest, velut Ludo- vicus Traube (‘O Roma nobilis’ pag. 23) Aldae v. 553 ‘nescio quis mulier vel quae vir quodve neutrum’ fluxisse censet ex Hermaphrodito ‘cum mea me mater’ eqs., quem nisus Matthaei testimonio in praefatione ep. poeticarum v. 24 huic auctori

Plures generis sui poetici scriptores non modo nosse, sed etiam imitatum esse demonstrasse mihi video. Pauca addam, quae quanti sit aestimatum carmen ab aequalibus et posteris doceant. Qua in re mirum esse potest, quod, cum alia eius generis poemata saepe et diu fuerint nominata, Alda quantum investigare potui in nullo operum litteralium indice laudatur. Attamen valde in deliciis aequalium fuisse comoediam et multi libri manuscripti et argumentum et verba posterius iterata testantur. Quin etiam contendere velim hanc¹⁾ quoque comoediam in scholis fuisse lectitatum. Nam nisi hoc concesso forma textus varia, qualis extat in singulis recensionibus, explicari non potest, itemque testes sunt notae et explicationes adiectae in libris manu scriptis, ut a minus eruditis sententiae difficiliore percipi possent; vide praecipue Paris. 15155 et Vindob. 312 apparat. critic. Minime autem huic conjecturae obstat, quod multa insunt in comoedia obscaena et supra modum lasciva, cum medii aevi homines in illis rebus non ita anxii fuerint neque eadem eos aestimatione, qua nos solemus, metiri par sit. Immo multas comoedias easque non minus impudicas scholarum in usu fuisse scimus; conferas quae in registro mult. auct. dicit Hugo Trimbergensis de Ovidio puellarum (v. 734 sqq.), de Lydia (v. 884 sqq.) aliis; et Pamphili elegos, quos puerorum lectioni aptos commendat Eberhardus Bethuniensis (Labor. III, 1 et 15), 'se puero legi in scholis solere' auctor est Lilius Gyraldus in hist. poet. dial. V, pag. 224²⁾.

attribuit. Sed conferas, quae de hoc carmine dicit Ernestus Voigt in 'Berliner philol. Wochenschr.' 1892, pag. 48.

1) Ad pueros erudiendos adhibitam esse 'elegiam Aldae' constat; cf. Ianssen, 'Gesch. des deutschen Volkes' I, pag. 55.

2) Cf. Ger. Ioa. Vossii de veterum poet. temp. lib. V, qui est de poetis latinis (Amstelod. 1662) pag. 86. De carminibus lascivis ad discendum pueris oblati cf. [Goldast.] Ov. Nas. Pelign. erot. et amat. opusc. Francof. 1610 praefationem.

Aliud etiam documentum comoediae non statim ob-
litteratae ex poetarum posteriorum imitationibus ducere
licet, etsi de nonnullis locis dubitari potest. Pauca af-
feram exempla:

Ald. 1

'dum parit Alda perit'¹⁾

Pseud.-Ov. de rem. am. v. 12

'sic perit absumptus nec parit eius amor'

Hos versus nuper edidit Wattenbachius in Z. f. d. A.
(N. F.) 22, 1890, pag. 270 sqq. Egoquidem lectionem
sumpsi cod. Vindob. 303, in quo hoc carmen una cum
Pseud.-Ov. arte amandi insertum est Faceto (inc. 'moribus
et vita quisquis vult esse facetus') post v. 130 (fol. 88^a
—90^b) ideoque in codicum catalogis illa carmina non me-
morantur. Vindob. plerumque consentit cum Monacensi
11601, Polling. 301 (P), quem adhibuit editor, sed mi-
nus est depravatus mendis. In margine adiecta est pas-
sim varia lectio et versibus e Graecismo sumptis sae-
pius verborum significatus explicantur. Excerpta illo-
rum carminum in cod. miscellaneo Bonnensi 220 (fol.
249^a—252^b) extant, ubi titulo 'moralis poeta moder-
nus' distinguuntur a versibus Faceti, qui ibidem (fol.
238^b—241) 'moralis poeta' signantur.

Ald. 545

'nec later absque luto, nec serpens absque veneno
ullus erit'

'vers. de sponso ad sponsam' 8

'et later ablutus non erit absque luto'

Non iure hoc carmen attribuitur Hildeberto (v. Migne
patrol. ser. II, tom. 171, col. 1453 sqq.) secundum Hau-
réavium ('not. et extr.' tom. 28, 2, pag. 405 sq.), qui Phi-

1) Similes verborum ludi saepius occurrunt, velut in Ly-
diae com. 212 'et quod mente parat, languida voce parit' et
in Alani de planctu naturae (ed. Leyser) metr. V, 44 'in partu-
que dolos dum parit illa parat', qui nonnumquam imitatur
Guilelmi comoediam.

lippum abbatem Bonae Spei saec. XII exeunte florentem auctorem proponit.

Ald. 48 'nam venit ex sola prosperitate dolor'
ad verbum repetitur in Henrici Septimellensis 'elegia de divers. fort. et philos. consol.' v. 30, ubi et alias imitationes invenies. Elegiam (post Leyser. pag. 453 sqq. in Fabricii bibl. lat. med. et inf. aetat. ed. Mansi tom. VI, pag. 665 sqq.) ad finem a. 1193 esse scriptam demonstravit Cuno Francke ('Zur Gesch. der lat. Schulpoesie im XII. und XIII. Jahrh.' pag. 43).

Ald. 218

'absolvitque reos innocuosque ligat'
de Paul. et Poll. com. 135

'saepe reos solvens innocuosque ligans'
cui addas Ald. 546 ~ de P. et P. 86; Ald. 292 ~ de P. et P. 540 al. Comoedia (ed. du Méril in poés. inéd. pag. 374 sqq.) composita est ad a. 1230; vide Muellenbach. pag. 7 sq.

Alberti Stadensis Troil. I, v. 682 sqq.

'qui prohibere studet, pelagus ne fluctuet, ignis
ne caleat, studio fallitur ille suo.

nec later absque luto nec serpens absque veneno
esse potest, nec erit femina casta diu.'

sunt versus aliquo modo mutati Aldae comoediae 541 et 542, 545, 546^a, 548^b. Troilus, quem edidit Merzdorf a. 1875, in lucem secundum ipsius auctoris testimonium (VI, 670 sq.) a. 1249 prodiit.

Ald. 84

'tales, quos talis iungit et unus amor'
Facet. 176

'unum velle duos iungit et unus amor'
de trib. puell. com. 168

'hic nos una Venus iungat et unus amor'

de membr. conspir. 159

. . . 'coniunxit amico
foedere, nos semper iungat ut unus amor'

Illa tria carmina sunt incerti temporis; de tribus puellis edidit Iahnke (in com. Horat. pag. 90 sqq.), de membris carmen I. A. Giles sub Ioannis Saresberiensis operibus (vol. V, pag. 299 sqq.), sed falso ei esse adscriptum demonstravit Carolus Schaarschmidt l. l. pag. 276 sqq., Faceti denique codicem adhibui Vindobonensem 303 (v. supra pag. 34). De hoc poemate, quod quantum scio nostra aetate non est editum, egerunt in primis Fride-ricus Zarncke in 'Verhandl. der sächs. Gesellsch. der Wissenschaften', philol.-hist. Cl. 1863, pag. 74 sqq. et B. Hauréau 'not. et extr.' tom. 27, 2, pag. 15 sqq.

Sed haec hactenus. Nunc si placet videamus, quomodo fabulae argumentum a posteris sit repetitum. Narrationis 'le roman de Trubert', in qua nomine Aldae servato similia narrantur, iam mentionem feci superius. Item inveniuntur similia mixta dissimilibus in carmine heroico 'Wolfdietrich B' vel 'Hugdietrich'¹⁾, sed conexum inter hoc carmen et Aldam intercedere demonstrari nequit. Videtur autem scriptum ad a. 1225. Paulo propius accedit argumentum narrationis germanicae 'der schuolære ze Paris' (cf. 'Gesamtabenteuer' ed. F. H. von der Hagen vol. I, pag. 277 sqq. (nr. XIV) et praefat. pag. LIV et CXXVII), ubi studiosus Parisinus vestibus indutus cellariae ad virginem amatam ingressus illius amore fruitur, exitus autem narrationis plane alienus est a comoedia. Unum tantum carmen addere possum, cuius auctorem Aldae exemplar esse imitatum manifestum est, Roberti Blesensis 'Floris et Liriope'²⁾. In

1) Vide 'Deutsches Heldenbuch' part. III, pag. 167 sqq. (ed. O. Iaenicke) et Caroli Simrock 'Das kleine Heldenbuch' pag. 482 sqq.

2) ed. Wolfram de Zingerle in 'Altfranzös. Bibliothek', vol. XII (1891), qui nisi de Ovidio de fontibus non egit.

posteriore ac breviori huius operis parte, quod scriptum videtur esse ad finem saec. XIII, Narcissi fabula ad exemplum Ovidii (met. III, 402 sqq.) narratur, in priore quae tractantur Guilelmi Blesensis comoediae simillima sunt, ut in patria poetae opus eius tot annis post notum fuisse videamus. Praeterea ab Aldae argumento non plane abhorrent quae explicantur et in gallicis fabulis pluribus (vide du Méril poés. inéd. pag. 423 et Dunlop-Liebrecht 'Geschichte der Prosadichtungen' pag. 407) et in Byronis 'Don Iuan', sed necessitatem intercedere inter illas et Aldae comoediam nemo puto contendet.

Poetarum posteriorum imitatio et verborum et argumenti, quam ad finem saec. XIII persecuti sumus, per hoc tempus comoediam fuisse pernotam docet, neque posterioribus saeculis oblivione esse obrutam complures saec. XIV et XV libri manu scripti testes sunt. Inde ab hoc tempore paulatim oblitterata videtur esse, cum quantum scio numquam typis fuerit impressa, et in bibliothecarum scriniis latebat, donec nostra demum aetate ex duabus innotuit editionibus, quas suo loco tangam.

Pauca hic adiungam de fragmentis carminum Aldae titulum gerentium, quae a Merilio in praefatione editionis tractantur. Tanti autem illi, cui Matthaeum Vindocinensem auctorem Aldae quam tractamus fuisse veri erat similis, videbantur momenti, ut reliquias Aldae Guilelmi Blesensis se putaret invenisse¹). Sed quid rei sit modo vidi ipsa quasi inspectione codicis Paris. 11345, e quo Merilius fragmenta sumpsit: nam

1) 'On pourrait' inquit pag. 424 'sans une conjecture par trop téméraire y voir des restes de la version de Guillaume de Blois, qui aurait péri comme tous ses autres ouvrages: le style en paraît plus élevé; le ton plus grave, plus sententieux, et une forme de versification différente ne permet pas d'attribuer ces extraits à un manuscrit de l'Alda plus étendu, que ceux qui nous sont parvenus. Nous citerons ici comme spécimen' eqs.

Hippolytus Loiseau amicus mihi omnium versuum, qui huc pertinent, apographon accuratum comparavit. Sunt autem vv. 98 et hexametris et metro elegiaco compositi, in quibus 35 ex ipsa Aldae comoedia desumpti. Atque his quidem iure, illis iniuria Aldae titulus est additus, nam cum Parisinus liber sit exemplar deterior¹⁾ florilegii, quod vocatur Poleticon (vide infra pag. 45 sqq.), itaque omnes in illo versus in ceteris eiusdem collectionis extare debeant, comparatione instituta errorem esse eo ortum facile cognoscitur, quod ex aliorum carminum titulis compendiose scriptis librariorum indigentia factum est Aldae nomen. Et re vera ex Alexandreidis, nam de hoc carmine imprimis agitur, significatione (Alexād', Al̄x̄d', Al̄d') bene nasci potuisse 'Alda' unus quisque concedet²⁾. Itaque nullus qui non in alio carmine legatur versus relinquitur, neque ut de omnibus fuse agamus opus est. Illa tantum quae edidit Merilius fragmenta ad veros auctores reduxisse satis habeo.

pag. 424 'omnes res vanae' eqs. sunt Alexandreidis³⁾ VIII, 332—334 et 391—403;

pag. 424, not. 6 'volvitur instabili motu' — 'semper stare gradu' = Alexandr. IX, 525—527;

ibidem qui secuntur sunt Alexandr. IX, 309 sqq.

pag. 425, not. 'cum labor' — 'solamen haberi' = Alexandr. IX, 533—536;

ibidem 'nulla rei novitas' — 'lege fidelis' = Alexandr. V, 394—396.

1) Ernestus Voigt quoque litteris ad me datis codicem, quem ipse excussit, nullius esse fidei testatus est.

2) Parisini vitium non esse singulare inde vides, quod in cod. Bonnensi 220, fol. 359^b fragmentum illud, quod edidit du Méril pag. 424, legitur cum inscriptione miniata 'Alda de ambitione dignitatum'. Cum ab his verbis 'de amb.' eqs. Poletici lib. I, cap. CXX incipiat, Bonnensis hanc particulam e malo illius florilegii exemplari fluxisse concludas.

3) M. Philippi Gualtheri ab Insulis dicti de Castellione Alexandreis recensuit F. A. W. Mueldener, 1863.

Disticha denique eam ob causam Aldae titulum accepere, quia cum Aldae versus praecessissent, sequentibus autem rubrica non esset addita, illi ad priorem significationem pertinere videbantur, velut, quae affert Merilius pag. 425, sunt Ovidii ex Pont. I, 4, 11 sq. et art. am. I, 735 sq.

Caput IV.

De libris manu scriptis et editionibus.

Subsidia critica, quibus in hac nova editione usus sum, sunt haec:

H codex Harleianus 3872 musei britannici, qui breviter illustratur in 'Catalogue of the Harleian manuscripts in the British Museum' tom. III, pag. 89. Aldae comoedia, quam antecedit distichon supra memoratum (pag. 4), legitur fol. 170^a, col. 1—173^a, col. 1. Apographon eius diligenter factum comiter interveniente Bernardo ten Brink, quem defunctum doleo, misit mihi Lucia Toulmin Smith.

'Versus leonini auctoris incerti' qui in codice sequuntur comoediam (fol. 173^a, col. 1) sunt:

'd]ives eram et dilectus inter partes preelectus
modo curvat me senectus et etate sum confectus
Unde vilis et neglectus a deiectis sum deiectus
Quorum vana sonat pectus mensa gravis pauper lectus
quis nec amor nec affectus sed horrendus est aspectus',
sequitur col. 2—173^b, col. 2 carmen de excidio Troiae
quod incipit

'Uiribus arte minis danaum data troia ruinis
annis bis quinis fit rogos atque cinis'
explicit

'Sic ex enea crescunt romana trophea
Sic gens romulea surgit ab hectoraea'
quod editum est sub Hildeberti nomine apud Migne
patrol. ser. II, tom. 171, col. 1451 sqq.; conferas B. Haureau in 'not. et extr.' tom. 28, 2, pag. 402.

X codex Parisinus 'fonds latin' 15155 (olim 'fonds de St. Victor' 756), continens flores poetarum; quem cum nemo quantum scio accuratius descripserit¹⁾, pauca de carminibus quae praebet adnotare non inutile duxi. Qua in re sequor notitias et collationes, quibus me donaverunt Hippolytus Loiseau amicus et Gaston Collon. Liber videtur exaratus esse in Francogallia meridionali post saec. XIII medium. Foliorum erat 176, e quorum numero cum temporum iniquitate plura perierint, 139 tantum nunc supersunt. Titulus (fol. 1) legitur hic:

'que secuntur hic habentur scilicet
flores metrici et alii sumpti ex diversis actoribus (*sic*)
quorum auctorum nomina habentur folio primo'.

fol. 2^a. Cathonis primi:

'Incipiunt mores actorum (*sic*) nomine flores
sunt extracta bonis de versibus ista Cathoni[s]
Plus vigila semper' *eqs.* —

6^b. Aviani Veteris — 7^a. Aviani Novi *inc.*

'te quoque qui populi reprehendere verba teneris'
expl. 'cur tibi displiceat mortis inire genus'. —

8^b. Maximiani — 10^a. Claudiani — 14^a. Stacii — 15^a.
Pamphili — 18^a. Esopi (*i. e. Anonym. Neveleti*) — 21^a.
Thobie — 25^a. Martialis — 27^a. Prudencii — (*desunt*
codicis folia 28—38, quibus continebantur excerpta Ti-
bulli — Horestis (*i. e. Orest. trag.*) — Boecii — Eu-
thetici — AnthiClaudiani — Architreni — Homeri —
Sedulii — Propertii — Artis metricae) — 39^a. Ylia-
dos Frigii Daretis — 39^a. Gethe (*i. e. Vitalis Amphitr.*)
— 40^b. **Comedie de Alda** — 45^b. Bernardi Silvestris
Loci descriptio (*sunt ex Megacosmo et Microcosmo lib.*

1) Cum iam sub prelo erat libellulus meus, vidi Hauréavii dissertationem de codice 15155 editam in 'not. et extr.' ed. B. H. 1892, pag. 299 sqq., qui de nonnullis carminibus accuratius egit, pauca edidit.

I, 3 ed. Barach et Wrobel) — 49^b. Mathei Vindocinⁱ Loci descriptio (*comprehenduntur hic 'loci descriptio' eius et 'loci brevis descriptio'*) — 52^b. Georgicorum Galteri de Castellione, *inc.* 'Insula me genuit, rapuit Castellio nomen' — 54^b. Mathei Vindocin de amore protervo — 56^a. Hildeberti Cenomanensis de Fortuna (*adscripta est glossa 'quos versus fecit Cenomanensis episcopus, ut dicit . . . aus'*) liber 26 (?) . . . 108 (?) qui fuit discipulus Bereg²⁾ . . .) — 57^a. Matheus Temporum descriptio, Commandatio pape, Commandatio militis, Commandatio sapientis, Vituperium stulti, Commandatio matrone, Commandatio pulchre mulieris³⁾ — 63^a. Ovidii Epistolarum, de Arte, de remediis, sine titulo, de Fastis, Ovidii Magni, de tristibus, de Ponto, de medicamine faciei (*desunt fol. 111—136, quibus erant scripta Ovidius de Nuce, de vetula, de pulice et sompnis, in ybernum; Virgilio in Buccolicis, in Georgicis, Eneydos; Oratii in Poetria, libro Sermonum, Epistolarum, Odarum; Iuvenalis; Persii; Lucani*) — 137^a. Lucani — 137^b.

1) De nomine adnotat G. Collon: 'on lirait plutôt Viçlaus. Il serait assez difficile de lire Nicolaus. L'écriture très fine est aussi fort pâlie'.

2) Berengarium fuisse Hildeberti magistrum nunc constat; vide Iosephum Schnitzer, 'Berengar von Tours, sein Leben und seine Lehre' 1892, pag. 7 cum not. 6; dubitabatur de ea re in 'hist. litt. de la France' tom. XI, pag. 251.

3) Sunt partes artis versificatoriae Matthaei Vindocinensis (ed. Bourgain 1870), exempli causa additae, a qua postea demum sunt absolutae. Poematia sunt edita a Wright et Halliwell in reliquiis antiquis pag. 257 sqq., quae editio ex parte est repetita in patrologia Mign. ser. II, tom. 205, col. 979 sqq., et a Bourgain in editione artis. 'Descriptionem formae pulcritudinis' vel 'pulchrae mulieris' denuo edidit B. Hauréau in 'not. et extr.' ed. B. H. 1890, pag. 395, ad verbum illam saepius congruere cum Matthaei Milonis comoediae vv. 9—40 adnoto. Codicum numero addas Hannoveranum 524 saec. XIII (cf. Eduardum Bodemann, 'Die Handschriften der kgl. öffentlichen Bibliothek zu Hannover' pag. 90 'descriptio praelati ecclesiastici descriptio militis vel principis | descriptio advocati sub metaphora Ulixis' eqs.).

Alexandri (*est Gualtheri ab Insulis Alexandreis*) — 145^b.

De puero non preferendo puelle, *inc.*

‘Perversus mos est pueros preferre puellis’
expl.

... ‘eant ad Tartara non redituri
qui teneros pueros pro coniuge sunt habituri’
(*hos versus ex parte edidit Duemmler [Z. f. d. A. 22, N. F. X (1878) pag. 256 sq.] e libro biblioth. Bodl. Laud. 86, saec. XIII.*) — 145^b. De capt ... Troie (*sunt excerpta ex duobus carminibus de excidio Troiae, quorum de altero supra (pag. 40) dixi, alterum ‘Pergama flere volo’ eqs. ediderunt Hauréau in ‘not. et extr.’ tom. 28, 2, pag. 438 sq. et Schmeller in carm. Buranis pag. 60 sq.*) — 147^a. Chatonis secundi, *inc.*

‘Hiis accede sonis, cape verba secunda Cathonis,
Si te proponis caelestibus addere donis’.

expl.

‘Me sic transire me cum Christo sciat ire,
Lucis opus mire cum magna dies erit ire’.

— 149^a. Contemptus mundi ‘Cartula nostra tibi’ *eqs.*
(*egerunt de hoc carmine Huemer in ed. Hug. Trimb-
ergensis pag. 150 et Hauréau ‘in not. et extr.’ tom. 27, 2
pag. 20*) — 168—176 Flores proverbiorum.

Ex Aldae comoedia 302 versus sunt excerpti ple-
rumque ii, quibus res venereae narrantur: 29—50, 53
—58, 65—72, 81 et 82, 87 et 88, 109 et 110, 113—
116, 123—138, 151 et 152, 157 et 158, 161—172, 189
et 190, 173—188, 193 et 194, 213—234, 239—246,
249 et 250, 259 et 260, 262, 267—270, 357—359,
365 et 366, 371—388, 391—432, 437 et 438, 443 et
444, 449—454, 465—474, 477—502, 509—536, 539—
556, 559—566. Hic et illic glossae interlineares ad-
scriptae sunt, quas recepi in app. crit.; in fol. 42^b
(vv. 219—270) legimus appositum

‘Si tibi Virgilii pectus, si vultus Adonis,
Nullius es precii, nisi possis vincere donis’.

ñ codex Berolinensis ms. Diez. B. Santen. 60, fol.

membr. (descriptus a Schleeio primis huius saeculi annis in cod. Diez. C. 4^o, n. 77), de quo novissimus egit Ernestus Voigt in *Ysengrimo* pag. XI. In florilegio poetico (fol. 1—37^a), quod ante saec. XIII. non potest esse compositum cuiusque hic liber non primum exemplar est, sed descriptum saec. XIV¹), versus e Guilelmi comoedia excerpti leguntur fol. 5^a sub titulo 'proverbia albe comedi' 31 et 32, 39—48, 127 et 128, 179 et 180, 175^a, 189 et 190, 212—218, 221—234, 239 et 240, 243—246, 267 et 268, 371—374, 466, 521 et 522, 384, 541—548, 556. Descripsit mihi benigne Carolus Becker amicus.

l codex Leidensis Bon. Vulcanii nro. 48, saec. XIII., cuius excerpta memorantur a Suringario (in edit. Aldae elegiae pag. 9) et a Cloetta (l. l. pag. 108, not. 2). Extant fol. 33^a, col. 2 et fol. 33^b sub titulo 'Proverbia comediae de Alda', quae verba item atque excerptorum litterae initiales minio sunt exarata; sunt versus 31 et 32, 35^b et 36, 39 et 40, 45—47, 213—218, 229—234, 541—546^a, 548^b—550; qui antecedunt sub eodem titulo versus

'si quis habet nummos, secunda navigat aura
fortunamque suo temperat arbitrio'

non sunt Aldae, sed Petronii et propter materiam similem videntur hic inserti esse. Collationem litteris a me rogatus benigne curavit Suringarius, confecit Nardus Groen discipulus eius.

L codex membranaceus bibliothecae monasterii Lambacensis nro. 100, exaratus teste Muellenbachio saec. XII. Lectiones a se excerptas comiter mecum communicavit Ernestus Muellenbach amicus meus, qui idem accuratam codicis descriptionem dedit in com. eleg. pag. 38 sqq.²) Folia codicis a glutinatore quaternionibus non

1) Cf. E. Voigt l. l. pag. XII.

2) Etiam conferas Huemer in 'Neue philolog. Rundschau' 1886, pag. 44 et in stud. Vindobon. tom. IX, pag. 80 sqq.

bene discretis perverse ligata sunt, ut Aldae comoedia his contineatur: fol. 40^a extr., 40^b, 64^a, 64^b, 49^a—54^b med. Inscriptionem praebet L hanc satis miram fol. 40^a: 'Explicit Comedia Triperi. Incipit Comedia Ulfi' itemque subscribitur 'Explicit Comedia Ulfi'. Comoedia Triperi est Vitalis Aulularia (cf. Muellenbach pag. 44), Ulfi nomen desumptum est ex primis argumenti et comoediae versibus, quocum conferas, quod in Hugonis Trimbergensis registro 'Pyrrhus' est Lydiae comoediae titulus (cf. v. 886).

V codex Vindobonensis 303 (nov. 392), cuius descriptio extat in Stephani Endlicher 'catalogo cod. philol. lat. bibl. Palat. Vindobonensis' pag. 158 sqq. sub nro. CCLXXVII et in 'Tabulis cod. mss. in biblioth. Palat. Vindobonensi asservatorum' vol. I, pag. 41 sq. In utroque catalogo adscribitur saec. XIV. Librum liberaliter huc transmissum ipse comparavi. Carmen nostrum legitur in foliis 158^a—163, quorum 162^b dimid. et 163^a nimis pudici lectoris manu fere tota erasa sunt¹⁾; cf. Catull. 61, 111 sqq., anth. lat. 427 R. al.

W codex Vindobonensis 312, quem saec. XIV. attribuant Stephanus Endlicher in catalog. pag. 145 sub nro. CCLIV et 'Tabulae' vol. I, pag. 43. Aldae comoediam, quae extat foliis 40^b—49^b, intercessu Rudolphi Beer comiter mihi contulit Sigfridus Reiter Vindobonensis. Manus secundae correctiones et interpretationes invenies in apparatu critico.

P Poeticon, 'flores poetarum de virtutibus et viciis ac donis sancti spiritus', de quo florilegio accuratius

1) Eorum quae codex continet plurima descripsi, aut si qua edita sciebam contuli. Folium 6^b non est vacuum (vide Endlicherum et tabulas), sed indicem exhibet paulo recentioribus litteris exaratum: 'Catho | Cathnovio | aviano | paup b[enricus] | passio b[eatae] u[irginis] C[atharinae] | morat | paclitg | Synö | panphilg | facetg | novg | Esopg | Novus aviano | 5 claves | Opuella | otemptg | müdi | pilatg | physiolog | Geta | Maximianus | Alda'.

egit Ernestus Voigt in Ysenrigo pag. CXXI sqq.¹⁾
Praesto mihi erant florilegii exempla haec:

α codex Gottingensis philol. nr. 130 exaratus a. 1366, vetustissimum illius collectionis exemplar. Versus mihi descripsit et saepius contulit Adolfus Schulten amicus meus.

β cod. Parisinus 11345 scriptus a. 1455, quem passim iam adhibuit du Ménil; vide de pretio libri, quae dixi supra pag. 38 et cf. Ysenr. pag. CXXIII, not. 15.

γ liber bibliothecae Coloniensis, s. l. et a., quem describit Leonhardus Ennen in 'Katalog der Incunabeln in der Stadtbibliothek zu Köln' I, pag. 93, nro. 155. Ipse contuli.

δ, ε, ζ libri bibliothecae regiae Berolinensis sub signis X c 615, 616, 618, quos mea gratia contulit Paulus Trautwein amicus meus. In δ (615) et ε (616) desunt locus et annus et typhotetae nomen, in ζ (618) fine leguntur haec 'Impressum Colonie per Martinum de werderna: prope domū consulatus: in vico burgēsi: (vel die burgerstraes) cōmorantē. Anno domini MCCCCCV'. Aldae versus, quos praebet Poleticon, sunt hi:

Pol. I, 21 De Symonia — Ald. 31—36, 39 et 40, 41—48.

Pol. V, 3 de avaritia sacerdotum — Ald. 225—234.

Pol. V, 8 de avaritia mulierum — Ald. 243—246.

Pol. VII, 10 de inconstantia et malitia mulierum — Ald. 541—548.

1) Persecutus sum librorum manuscriptorum vestigia, quae indicat Voigtius (pag. CXXII, not. 7) et inveni neque codicem bibl. Bonnensis 220 neque Coloniensem 4^o, nro. 234, qui asservatur in archivio urbis Coloniensi, continentem flores theologos, neque Leidensem Bon. Vulcan. nro. 48 illius florilegii esse exemplaria. Sub titulo 'Alexander' Gualtheri Alexandreis, non Doctrinale intellegi debet, item excerpta, quae sub Bernardi Silvestris nomine feruntur, non ex Megacosmo et Microcosmo, sed e 'tragoedia de patricida', de qua disserui supra pag. 30, sunt desumpta, denique cum versibus in florilegio 'Clerico' adscriptis nihil habet commune codicis Vind. 303 'Facetus clericalis iuvenis.'

Pol. IX, 27 de exhortandis pueris ad studium —
Ald. 205 et 206.

Pol. IX, 31 de distinguendis et repetendis lectionibus — Ald. 481,

omittit Parisinus vv. 225—228, 205 et 206. In appar. crit. cum horum librorum discrepantias omnes addere longum esset neque utile, collationem brevem hic adicio:

31 Ecidit *om. initiali* γ decidit ε — sulummodo $\beta\varepsilon$ — 32 nihil β — 34 muneris β — 35 concessit habendi α concessum habendum β — 41 utique α — 42 expectans *om.* β — 44 iam cece $\gamma\delta\varepsilon\xi$ iam ecce α iam tote β — expectet β — 231 in turpique β — 233 loquor $\gamma\delta\varepsilon\xi$ — 244 prima sua est β — 245 mentitur $\beta\delta\varepsilon\xi$ metitur α metitur *supra* e *lineola erasa* γ — 541 fluctuat β — 542 insanat β *ad hunc versum Ovidii nomen adscriptum est in* $\gamma\delta\varepsilon\xi$ — 205 Auditare α — 481 placebit β .

Praeter hos codices novi nonnullos hodie quidem non servatos; velut Amplonianus, qui similis videtur fuisse Harleiano (vide supra pag. 15, not. 3), nunc neque Erphesfurtii (vide Guilelmi Schum catalogum) neque Schoenbornae asservatur, quo complures bibliothecae Amplonianae libros esse translatos benigne mecum communicavit Ernestus Voigt. Alius liber erat in bibliotheca monasterii Melicensis (cod. membr. 8, R. 15, nr. 86, saec. XIV; vide Kropff in Bibliotheca Mellic. pag. 45 et Huemer in stud. Vindobonensibus tom. IX, pag. 68 sq.), qui in primis versibus a ceteris non nimis differebat:

'Dum parit Alda perit; vitricus pro coniuge natam
Diligit' eqs.

Primum Aldae comoediae distichon e codice Caroliruhensi edidit Monius in 'Anz. für Kunde der teutschen Vorzeit' 1838, col. 41, sed non est libri deperditi initium, quod putabam. Quid enim rei esset benigne Alfredus Holder litteris rogatus me certiore fecit. In cod. Augiensi LXXVIII saec. XIII/XIV, qui continet fol. 1—144^a Petri Lombardi sententiarum libros IV,

145^a—146^b excerpta in initio et fine mutilata ad concilia et synodos pertinentia, in fine fol. ultimi 146^b leguntur haec:

‘Tribus modis cōmittit peccatū uoluntate ope et
verbo [cod. verborum]

Cum parit alda perit ulsus p̄ oiuge natā. Diligit ad-
que uicē in prē mris agit

Dilige agnatos claros (*scribas charos*) uenerare pa-
rentes.’

Versus, ut vacuum folii spatium expleretur, adscripti Aldae comoediam illis temporibus non ignotam fuisse demonstrant. Falso aenigma latere putabat Monius: ‘Die Hs. hat irrig ulsus und vicem für vultus und vices. Die Auflösung liegt im Verständniss von alda d. h. die Alte, die Mutter’. Versus ultimus e Marbodi Redonensis episcopi ‘de ornamentis verborum’ desumptus est; cf. *patrol. Mign. ser. II, tom. 171, col. 1692 B.*

Primus¹⁾ nostro saeculo comoediam publici fecit iuris Thomas Wright in ‘Percy society’ tom. VIII, a. 1842, cuius editionis non multa impressa sunt exemplaria, pleraque postea oppressa (cf. du Ménil in ‘Origines lat. du théâtre mod.’ pag. 286 not. et ‘poés. inéd.’ pag. 425), ita ut liber nunc rarus sit. In textu constituendo editor adhibuit Harleianum 3872 et duos codices Vindobonenses ab Endlichero comparatos (cf. praef. pag. XIII), praecipue deteriorem 312 (*W*). Sed cum Harleiani praestantiam non recte aestimarit, textus eius compositionem miro modo mixtam praebet lectionum pravaram et bonarum. Praeterea non parva est copia lectionum, quae in nullo codice inveniuntur, atque saepius, utrum sint typographi menda an editoris coniecturae, vix diiudicari potest. Wrightium secutus comoediam edidit Édélestand du Ménil, qui materiam criticam auxit florilegiis cod. Paris. 15155 (*X*) et 13145.

1) Iam antea in catalogo (pag. 144) Stephanus Endlicher expresserat vv. 1—30 et ultimos carminis.

Harleiano non usus est nisi per editionem Wrightii, quae codici ipsi nullo modo respondet. Haec quoque editio extra Francogalliae fines non admodum crebra est.

Ego quidem omnes contuli libros manu scriptos et florilegia, e quibus aliquem fructum me esse capturum sperabam, neque praeter hos plures extare codices credam, praesertim cum nullum iam librum manuscriptum sibi notum esse in Germania Ernestus Voigt, in Gallia Hauréau (litteris ad Ernestum Muellenbach datis) testati sint. Quae cum ita sint, de ratione quae intercedit inter libros quid sentiam et de pretio unius cuiusque proferam. Iam supra dixi carminis, quod scholarum in usu fuisse suspicatus sum, textum adeo esse mutatum novis lectionibus et versibus additis, ut totius comoediae forma variata sit. Atque duarum recensioneum¹⁾, quae in codicum numero distingui debent, ego quidem meliorem duxi eam, quae *H X b l* libris nititur, quippe quae multis locis menda in altera *L V W* obvia non exhibeat et maioris praestantiae vetustatisque indicia prae se ferat²⁾; vide e. g. 3 videat, 17 novi studium comoedi . . quem, 36 cur, 138 aspectu, 140 ornatis, 145 gravitasque, 154 cura, 155 fama, 164 dispariat dispar utrimque pares, al.; praeterea servantur hic duo versus necessarii 435 et 436, qui desunt in *L V W*. Quibus praestantiis commotus sum, ut ab illis (*H X b l*) libris maxime editionis fundamentum peterem. Alterius rec. testes non semper inter se concinunt, sed hic et illic cum melioribus libris faciunt, velut *L* vv. 73, 134, 150, 387, 448, 486, 502, 540 al.,

1) In codicum deperditorum numero Amplonianus primae, Melicensis secundae recensioneis exempla fuisse videntur.

2) Attamen hanc quoque recensioneem a poetae ipsius verbis subinde esse alienam persuasum habeo, ut primam comoediae formam ex libris servatis plane restituere non possimus; vide e. g. v. 25 sibi [si] et vv. 189 et 190, qui in omnibus codicibus excepto *b* libro suo loco non stant, al.

et *V* vv. 5, 151, 422, 555, 561 al.; minoris pretii est *W*. *X* codex plerumque bonus subinde recedens ab *Hbl* ad vulgatas lectiones appropinquat, cf. e. g. 172, 226, 544, 547 al., quam naturae ambiguitatem ea re pato posse explicari, quod in librum, ex quo fluxerit *X*, inlatae sunt correcturae ex alterius rec. codicibus. Sed caute adhibendum esse *X* censeo, quod ut florilegiorum mos est nonnunquam mutavit sententias excerptas. *b* et *l* florilegia versuum dilectum quidem habent diversum, nihilominus tamen quin e libris *H* et *X* similibus emanaverint dubium esse nequit; praecipue *l* ex *H* ipso (aut ex apographe eius) esse excerptum simile est veri, cum in utroque omittantur nam modo vv. 546^b—548^a. *P* in arte critica nullius est pretii, sed valet tantum ad cognoscendam textus in dies mutati historiam. Ceterum modo cum prima, modo cum secunda recensione consentit. Versuum, quos ex Alberti Troilo protraxi, totus habitus docet, eos ex florilegio aliquo, fortasse ex *l* (vide versus 546^b—548^a omissos) originem duxisse, non ex libro manu scripto integro. In textu agitur restituendo secutus sum quantum potui *H Xbl* libros, sed ne alterius classis lectiones opprimerentur in app. crit., sub linea typis minutioribus illas addidi sumore Ernesto Voigt, qui illius rei optimum dedit exemplum in Ysengrimi editione. In app. crit. discrepantias respexi omnes, ut quid in singulis codicibus insit facile colligere possis, omisi tantum orthographicas¹⁾, velut fere semper mutatas litteras ae — oe — e; c — t, ch — c — h ('charus', 'michi'), i — y ('ynguen, lacryma'), nec curavi afferre tales lectiones 'colectis' pro 'collectis', 'volnus, voltus' (quod in *H* usitatum est) et 'wlnus wltus', 'conpatiatu'r', 'inpar' al. Compendia, quorum in libris est non parva copia, fere semper resolvi.

1) Cum propter codicum in ea re discrepantias orthographicam Guilelmi Blesensis restituere non possem, ad argentensae latinitatis usum redii, ut fieri solet in editionibus.

GUILELMI BLESENSIS

ALDAE COMOEDIA.

H codex Harleianus 3872.
X codex Parisinus 15155.
b codex Berolinensis 60.
l codex Leidensis 48.
L codex Lambacensis 100.
V codex Vindobonensis 303.
W codex Vindobonensis 312.
P flores poetarum (Poeticon).
W_r Thomae Wright editio.
M Merilii editio.

Dum parit Alda perit; Ulfus pro coniuge natam
 diligit atque vices in patre matris agit.
 ne vir eam videat aut ipsa virum, pater illam
 claudit, Pyrrhus eam nomine captus amat.
 servus eum fallit, anus adiuvat, hunc mulierem 5
 mentitum sentit clausa puella virum.
 concipit illa, pater queritur, tandemque reperto
 artifici fraudis fit socer; acta placent.

Versibus ut pulicis et muscae iurgia risi,
 occurrit nostro mascula virgo stilo: 10
 nominis accipio pro nomine significatum,
 non potui nomen lege domare pedum.
 venerat in linguam nuper peregrina latinam
 haec de Menandri fabula rapta sinu:
 vilis et exul erat et rustica plebis in ore, 15
 quae fuerat comis vatis in ore sui.

3 ducat 4 eam Pyrrhus 5 servus eam 6 sentit
 mentitum 9 lusi

*Titulus non legitur in H — 1 lectiones codd. Melicensis
 et Auxiensis vide supra pag. 47 et 48 — 4 pirr', pirus, pyrr'
 libri omnes — 10 virgo] virgo viro H — 15 et 16 om. H*

Incipit Alda *V* (*rubr.*) *W* Incipit Comedia Ulfi *L* (*rubr.*)
 — Dum parit] Cum parit *litteris rubris maioribus, in marg.*
 Argumentum *L* — 3 aut] vel *Endlicherus* — 5 eam] eum *V* —
 hunc] hinc *Endlicherus* — 7 reperto] reperta *Endlicherus* —
 8 artifici fraudis] artificis fraude *W Endlicherus* — 9 Versibus
litt. initialis picta et maior, Prologus in marg. L

dumque novi studium comoedi quaereret illa,
 quem vice Menandri posset habere sui,
 me pro Menandro volui sibi reddere longe
 20 impar proposito materiaque minor.
 pro fracta navi dicar simulasse cupressum,
 extra propositum musa cucurrit iter.
 exeo comoedum, fines comoedia transit
 nostra suos, miscens non sua verba suis.
 25 inveniet lasciva nimis sibi verba pudicus
 lector: materiae, non mea culpa fuit.
 ne matronaret meretrix in verba Sabinae,
 sunt sua materiae reddita verba suae.

Fusus in amplexus parientis coniugis Ulfus.
 30 iuratos queritur in sua damna deos.
 'accidit hoc homini solummodo prosperitatis',
 Ulfus ait, 'quod nil prosperitatis habet.
 non misere miser est, cui nil datur, unde nocere
 irati possit numinis ira sibi.
 35 non misera miser est, cui nil concessit habendum
 casus, cur surdo supplicet ille Iovi.

17 dumque novum studium comoedia quaereret illa 24
 nostra suis miscens 25 inveniet sibi verba nimis lasciva pu-
 dicus 30 iratos 31 'accidit', Ulfus ait, 'solummodo pro-
 speritatis hoc homini' *egs.* 33 non datur 34 sui. 36 cum

25 sibi *corruptum putat ex si Buechelerus* — 29 Fusus
prima litt. maior et rubra H(LV) — 30 iuratos] iratos *H* —
 31 ita verba praebent *Hbl*, transponit *X cum LVW* — 33
 et 34 *om. H*

17 studium] vatem proposuit *M* — 18 posset] possit *V*
 / me
 — 19 longe] longam *W* (me *supra versum m.*) — 21 navi]
 nave *W* — 23 comoedum] comendum *L* — 27 matronaret]
 matronarer *V* — 29 Narratio in marg. *L* — amplex' *una. Ktt.*
 (ū?) *erasa W* — 31 accidit in mundo solummodo prosperita-
 tis hoc homini *egs. P* — 33 non] nil *P* — 36 cum] cur *P*

non misere miser est, cui nil sufferre valebit,
quin minus ex dampno sit miser ipse suo.
nil felicitis habet, qui felix esse putatur,
non est, quem miserum credimus esse, miser. 40
ille stat et lapsum metuit, iacet utque resurgat
expectans alter non habet unde cadat.
pressus in adversis iam nil timet, immo recursum
subversae expectat tutior ipse rotae.
hunc, quem laeta foveat, comes indivisa secundis 45
cura vigil macerat, sollicitaque timor.
prosperitas igitur est prosperitate carere,
nam venit ex sola prosperitate dolor.
hoc satis exuperior, cui fit modo summa doloris,
quod modo summa meae prosperitatis erat. 50
Alda comes, dum sospes eras, comes Alda, meorum
..... ;
alterat ecce vices fortuna, meique doloris

38 cum miser ex dampno sit minus ille suo 41 metuit
lapsus 44 iam versae expectat 51 comes apta 52
respectu quaevis gaudia luctus erant

38 sit miser] fit miser *Wr* — ipse] ille *X* — 41 utque]
usque *b* — 43 pauper nil timet *X in marg.* — 44 subversae
expectat] expectat versae *X fortasse rectius* — ipse] ille *H* —
45 indivisa] invidiosa *b* — 46 dives timet *in marg. X* — 52
respectu quaevis gaudia luctus erant *H* (quamvis *Wr*), *hunc
versum male factum praefestinante oculo ad 54 abiciendum
censet Buechelerus; verus v. 52 perit, (fatorum quivis gaudia
luctus erat talem requirit Buech.)*

38 minus] nimis *W* — 39 felicitis] felicitis *V* — 41 ille]
iste *PM* — metuit lapsus] metuit lapsura *V* lapsus metuit
P — 42 cadat] ruat *P* — 44 iam versae] iam ecce *P* — 45
sotia hinc contraria
laeta] fata *P* — comes indivisa secundis] comes hinc adversa
prosperia
secundis (verba supra versum addidit *m.*² coeva) *W* — 46 ma-
cerat] lacerat *L* — 49 cui fit] quia fit *V* cum sit *W* cum sit
∴ hoc (*m.*²)
M — summa *W* — 50 erat om. *W* — 51 et 52 om. *V*

si qua tibi pietas, si qua est compassio
si quid habet veri noster amoris am-
quas moriens et amans extremas fundo,
effectu studeas exhilarare preces!
artificem recolas te materiamque doloris
istius, et moveat te meus iste labor!
nec moveat tamen, ut doleas tam molli
ne tuus his precibus possit abesse fa-
sic obstetricis probat experientia nostrae
filia nascetur me moriente tibi.
di sensere suum crimen fore, dissociari
tales, quos talis iungit et unus amor
ergo satisfaciunt nobis, culpamque fate-
damna tibi pensant restituuntque tua
fatorum invidia tua si tibi tollitur Alda
aut par aut melior redditur Alda tibi
di bene, qui tibi me communi in prole
inque mea moriens stirpe superstes e-
pullulat in plantam nostrae praemortua
radix in fetu multiplicata suo.
Ulfe, meum melius aliam mutatur in A
esse, meosque sibi vendicat illa dies.
transeo, non morior, alios transfundor :

78 iste dolor 79 sq. ut doleas nimis acri
his precibus possit adesse favor 84 tales
et unit amor 92 in fetu radix multiplicans
novatur 94 mutuatur

73 tibi pietas] tibi est pietas *H* — 81
stetricis *X* — 85 satisfaciunt] satisfaciunt
fatentes] culpaque fatentis *H*

73 tibi pietas] tibi est pietas *L* — 76 ex
V — 80 nexilis] exilis *M* — 81 experientia]
— 83 di sensere] dissensere *prior s in ras.*
vobis *L* — fatentes] fetentes *W* — 86 rest
tuantque *V W_r* — 89 communi] comuni *L* —
promortua *W* — 94 mutuatur] metuatur *L*

sumptos de nostro corpore deque tuo
 pars erit ista mei, prius in patre de patre fluxit
 in matrem informis massa globasque rudis.
 est pariter nostra, pariter vivemus in illa
 100 et per eam potero gratior esse tibi.
 hanc igitur nostris a visceribus pietatis,
 vir bone, suscipiant viscera blanda tuae.
 hanc tibi committo, tibi quae committor in illa,
 inque tua uxorem suscipe prole tuam.
 105 ne sine me vivas, ego vivo superstes in illa;
 sic me, quam rapiant fata, reseruo tibi.
 in patre maternos affectus sentiat illa,
 et pro matre vices in patre matris agas.
 heres ista mei succedat amoris, amore,
 110 quo tibi iuncta fui, iuncta sit illa tibi.
 exhibeas, precor — ha fer opem Lucina — papatrem
 blandum sisque, precor, in patre mater ei!
 dixit et ingeminans vix protulit illa: 'va — ale!
 in lucem prodit filia, mater obit.
 115 et miser et felix dolet et laetatur habetque
 vir causam fletus laetitiaeque pater;

97 erat ista tui 100 iustior 110 ista tibi 111 et
 fer opem 113 vahale

96 corpore] pectore *H* — 99 vivemus] vivamus *H* — 101
 nostris a] nostre a *H*, *fortasse legendum* nostrae de *cf. v. 102*
 tuae — 109 ista] illa *X* — succedat] succedit *H* — 112
